


M 1730


Dv 654

173 p.

*Doct. Suprem
K. H. H. H. H.*



[Faint handwritten text, possibly a signature or title, located at the top of the page.]



HENRICI JOSEPHI COLLIN
NOSOCOMII PAZMANNIANI PHYSICI ORDINARI ET SAC.
CAESAREO - REG. APOST MAIEST. REGIMIN. INFER.
AVSTRIAE CONSILIARI

FLORVM
ARNICAE,
VIRESETQVAEDAM
DE
MVSTI HORDEI
V S V.
SIVE
OBSERVATIONVM
CIRCA
MORBOS ACVTOS
ET
CHRONICOS FACTARVM,
PARS QVARTA.



VIENNAE
APVD RVDOLPHVM GRAEFFER. 1773.

HENRICI JOSEPHI COELEN
HONORABILIS PATRIS SACR. PAL. AUSTRIACAE
CENSURAE
MORALIUM
F. L. O. R. V. M.
A. R. N. I. C. A. E.
V. I. R. S. E. T. Q. V. A. E. D. A. M.
M. V. S. T. I. H. O. R. D. E. I.
O. S. S. E. R. V. A. T. I. O. N. U. M.
M. O. R. T. O. S. A. C. T. O. S.
C. H. R. O. N. I. C. O. L. A. C. T. A. V. M.
P. A. R. S. Q. U. A. R. T. A.

V. I. R. S. E. T. Q. V. A. E. D. A. M.
M. O. R. T. O. S. A. C. T. O. S.
C. H. R. O. N. I. C. O. L. A. C. T. A. V. M.
P. A. R. S. Q. U. A. R. T. A.

V I R O
PERILLVSTRI MAGNIFICO
A C
CLARISSIMO
ANTONIO STÖRCK
AVGVSTISSIM.
IMPERATORIS ET IMPERATRI-
CIS, A CONSILIIIS, ARCHIATRORVM
COMITI, STVDII MEDICI CAESAREO - REG.
PRAESIDI ET DIRECTORI, NOSOCOMII PAZMAN-
NIANI PHYSICO, PLVRIVM ACADEMIARVM
MEMBRO &c. &c.

*Has suas observationes, seque
totum dicat.*

H. J. COLLIN.

V I R O
P R I N C I P I U M

C L A S S I M O
A N T O N I O S T O R K

A U G U S T I S S I M O
I M P E R A T O R I R O M A N O

C O N S I L I O A C C E P T O
C O M M I S S I O N E S T A T U I

... ..
... ..

... ..



P R Æ F A T I O.

Jam dudum clarissimus olim
Professor meus celeberrimus
Dominus CRANTZ,
cujus erga me tempore studiorum
meorum benevolentia & haustæ ex
doctissimis ipsius prælectionibus do-
ctrinæ cum magna animi gratitudine
semper recordabor, me ratione flo-
rum Arnicæ contra Paralyfin usus
parvo in sua egregia Materia Me-
dica honoravit loco : persuasus

) 3 jam

P R Æ F A T I O.

jam tunc eram de hujus medica-
menti efficacia: observationes au-
tem non videbantur mihi satis nume-
rosæ, ut illas typis traderem: perre-
xi ergo illius effectus diligenter no-
tare, donec eas, quæ hoc libello
continentur, observationes college-
rim. His addidi quædam de Musti
Hordei a celeb. & de re medica
suis doctis experimentis optime me-
rito Macbride in variis casibus com-
mendati usu observata.

Vale benevole Lector! &
fave.



ELEN-

ELIENORUS CAPITULUM

CAPUT I

De ... & ...

CAPUT II

De ...

CAPUT III

De ...

CAPUT IV

De ...

CONCLUSION

CAPUT V

De ...

FORMULA

ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT I.

Denominatio, & Descriptio Plantæ.

CAPUT II.

Flores Arnicæ Antiparalytici.

CAPUT III.

Flores Arnicæ contra Amaurosin.

CAPUT IV.

Flores Arnicæ Antispasmodici.

* * *

COROLLARIA.

CAPUT V.

De Musto Hordei.

* * *

FORMULÆ.

C A-



CAPUT I.
PLANTÆ DENOMINATIO,
ET
DESCRPTIO.

Planta hæc, quam recentiores botanici omnes, ad ulteriorem confusio- nem evitandam, unanimiter *Arnica* vo- cant, apud veteres variis nominibus in- flig- nita legitur. Pro exemplo cum recentio- rum tum veterum saltem quorundam bo- tanicorum sequens sit.

A . . . PLAN-

PLANTE DENOMINATIO.

Arnica Montana, foliis ovatis integris:
caulinis geminis oppositis: *Linn* Syft.
nat. edit. 12. pag. 559. *Haller*. hist. n. 90.
Jacquin. enum. p. 152. *Oeder*. dan. t. 63.

Doronicum 4. *Clus*. rar. *Stirp*. pannon.
pag. 522. ubi ejusdem plantæ bonam de-
dit figuram, ac descriptionem.

Caltha Alpina *Tabern*. herbar. p. 714.

Nardus celtica altera, seu plantago Al-
pina *lob*. ic. 313.

Alisma *Matth*. comm. in lib. 3. *Diosc*.
p. 666. *Cam*. in *Matth*. fol. 316.

Arnica Germanorum & officinarum *Dal*.
Pharm.

Germ. *Wolfferley* oder *Wolwerley*,
Engeltrand, *Mutterwurz*.

PLAN-

PLANTÆ DESCRIPTIO.

Radix est perrenis calamum aut etiam minimum ferme digitum interdum crassa, inæqualis, horizontaliter aut oblique excurrens, fibris pluribus deorsum tendentibus terræ affixa; extus spadicea, intus albida; odoris fortis & gravis; saporis acris aromatici nec ingrati.

Folia ex ipsa radice emergunt quina aut sena ovata, basin versus plusculum elongato - angustata, integra, facie dilute virentia, subtomentosa; dorso magis canentia, & glabriora, nervis trinis aut quinis longitudinaliter insignita, ad plantaginis mediæ folia non nihil accedentia; saporis, dum diutius masticantur, manifeste Salsi cum levissimo Amaro.

Caulis inter hæc folia exsurgit pedalis & altior, teres, subpilosus: hic per intervalla foliis ornatur paucis, oppositis, sessilibus, radicalibus æmulis, at brevioribus.

Flores prope caulis fastigium ex foliorum axillis progrediuntur singulares, aduersum positi; in Cacumine vero caulis commiter terni, majusculi, radiati, aurei coloris; saporis intense amari; pedunculis erectis subpilosis sustentati.

Calix florum communis ex squamulis constat elongatis, æqualibus, erectis, canaliculatis, subpilosis, scabriusculis.

Corolla ex semiflosculis componitur calyce duplo longioribus (15. aut pluribus) subæqualibus, ligulatis, tridentatis, patentibus, radium constituentibus: quorum singuli filamenta quinque antheris carentia & stylum unicum apice bifidum intra tubulum recondunt: cæterum tamen fertiles omnes.

Discum vero flosculi occupant tubulosi, ore plerumque quinquesidi; Staminibus quinque (quorum Antheræ in tubum cylindraceum concretæ sunt) & stylo unico
api-

apice bipartito intra antherarum tubum
recondito instructi; pariter fertiles.

Semina sequuntur oblonga, nuda, pap-
po piloso coronata; receptaculo villoso,
parumper convexo infidentia. Crescit in
collibus & pratis subalpinis.

J. J. Well.



CAPUT II.
FLORES ARNICÆ
ANTIPARALYTICI.

CASUS PRIMUS.

Puella undecim annorum circa medium
Aprilem anni 1761. ad nostrum No-
focomium defertur, cum jam 10. dies elapsi
essent, ex quo post validum terrorem pa-

A 8

raple-

raplectica facta fuerat, & Aphona. Deglutitio multum læsa est: excretiones Alvi, & Urinæ tardæ, paucæ: habitus corporis pallidus, macer, laxus: pulsus, parvus, debilis: respiratio bona.

Usque ad finem Aprilis diligentissima medicamentorum contra paralyfin laudatorum applicatione nihil effeci. Quare mecum incepti cogitare, quid aliud in hac ægra tentare possem.

Penetrans Arnicæ odor & sapor, laudatique ab Authoribus, & mea experientia comprobati hujus plantæ cantusis ægris exhibitæ effectus spem fecerunt, fore, ut contra paralyfin utilis esse posset.

Flores illius utpote sapore, & odore penetrantissimis manifeste magis divites in usum vocavi, & infusum ægræ præscripsi, quod N. 1. habetur.

Quarta ab usu medicamenti die parvula incepit loqui, facilius deglutire, digi-
tos

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 7

tos manuum parum movere: Urina copiosior, & Alvus facilior evasit quam ante. Nec minimum a medicamento incommodum patiebatur ægra.

8va Curæ die sive 9na Maji subitos concussus dolorificos, cum leni agitatione subito etiam cessante, in artubus inferioribus aliquoties passa est, qui 10ma eodem modo continuarunt: ægra incipit omnes artus parum movere: loquela est naturalis: pulsus erigitur, & functiones naturales optimæ sunt.

12ma Maji Loco concussuum dolores lancinantes ab humeris & osse sacro ad extremitates usque digitorum propagatos subinde recurrentes, vix per horæ minutum durantes patitur, qui durant per 5. dies: dum interea vigente appetitu, cutis lætiorem induit colorem.

Postea nihil amplius conquæsta est ægra: 17ma Maji sola se in lectum erigit; sola

comedit & incipit cruribus insistere, ac ad-
juta a Custode, cum difficultate parum in-
cedere.

Perrexit eodem medicamento usque ad
finem Maji uti, quo postea non amplius
indiguit: omnia enim morbi symptomata
disparuerant: Puellam tamen in Nosoco-
mio servavimus usque ad finem Junii & il-
lam sanam robustamque suis reddidimus.

CASUS SECUNDUS.

Viro robusto 60. annos nato sub finem
Septembris anni 1762, tumor in
dextra colli parte oritur, quem frictione
pannis fumo aromatico imbutis facta di-
scutit: paucis post percussam hanc ma-
teriam elapsis diebus concidit apoplecticus,
& colli sinistram partem valde contundit,
quæ in magnum tumorem effertur.

Venæ sectionibus, purgantibus, vesi-
cantibus applicatis jam sub finem primæ
diei

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 9

diei soluta est apoplexia: mansit autem exquisita paraplegia cum capitis immobilitate.

Per sex septimanas adhibitis optimis remediis disparuit colli tumor: paralyfis autem eadem permanlit: cum qua ad nostrum Nosocomium 21ma Novembris delatus est.

Præter paraplegiam & muscutorum colli paralyfin, Alvus erat tardissima Enematis etiam acribus minime cedens, quare purgante acriori opus erat ad illam movendam.

Evacuatis primis viis incepit uti medicament. N. 1. sub cuius usu molestas lancinationes per omnes artus & præcipue in Collo & circa Nucham jam secunda die aliquoties pati cœpit. Tertia die repetitum est purgans: dein datum est illi medicament. N. 2.

Sub hujus usu validi dolores per omnes artus & spinam dorsi subito lancinantes

10 C A P U T I I .

quater quinquies Nychtemeri spatio cum brevi totius corporis tremore ægrum vexarunt: Appetitus rediit: Alvus sponte quotidie secessit.

Trigesima Novembris caput in omnem partem libere movet: incipit quoque aliquis in omnes artus motus redire.

Quinta Decembris manus & digitos libere movet: brachia incipit cum difficultate elevare; crura sursum ducere, extendere: doloribus lancinantibus successit sæpius repetens per spinam dorli & omnes artus formicationis sensus: qui 10ma Decembris pariter desit: ægro jam libero artuum superiorum usu gaudente & incipiente cruribus insistere, & cum auxilio custodis per cubiculum ambulare.

Perrexit eadem medicamenti dosi uti usque ad finem Decembris: quo tempore omnium artuum usus liber erat: vires multum auctæ erant.

Man-

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. II

Manfit adhuc in Nosocomio per tres septimanas: dein sanus ad suos rediit.

CASUS TERTIUS.

Vir sexaginta annos natus decima Aprilis anni 1763. post prandium incepit balbutire, & brevi post latere sinistro paralyticus factus est: Venæ sectio, purgantia, vesicantia, frictions per triduum ægro applicata nullam in melius mutationem attulerunt, & quarta ab insultu morbi die exquisita Hemiplegia laborans ad nos delatus est.

Ufus est infuso N. 2. interpolato subinde purgante per tres septimanas absque effectu sensibili: postea autem sensu formationis, manus, & pes ac utriusque digiti inceperunt affici, & uterque artus, quasi vi electrica tactus subinde concuti, & doloribus lancinantibus vexari.

Post-

Posthac omnia ita sensim in melius mutata sunt, ut sub finem Maji facies naturalis esset: libere loqueretur, & omnia debite exprimeret: incepit cruri insistere, & a custode sustentatus parum incedere: brachium hinc inde movere, non tamen sursum ducere adhucdum poterat.

Perrexit eandem medicamenti dosin sumere usque ad 18vam Julii. Dolores subito per artus lancinantes sensim rariores facti penitus emanferunt: uterque artus integram motus libertatem recuperavit: mansit senex in Nosocomio ad quartam Augusti, qua sanus & robustus dimissus est.

CASUS QUARTUS.

Puella 20. annorum a quatuor annis menstruam evacuationem regulariter habens, delicatula, vix tamen unquam ægrota, decima Junii anni 1763. ita valido

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 13

do terrore afficitur, ut sui nescia ad terram concidat: mentis compos brevi iterum facta, brachium utrumque exquisite paralyticum experitur.

Quibusdam domi incassum adhibitis remediis 18va Junii ad nos defertur: datur ipsi purgans, & sequenti die infuso N. 1. incipit, pergitque usque ad 29nam Junii absque ulla sensibili in melius mutatione uti: quare Infus. N. 2. ipsi præscribitur.

Trigesima Junii dolores ab inferioribus Colli vertebris per humerum & totum brachium ad apices usque digitorum in utroque latere subito lancinantes pluries diu noctuque pati cœpit: qui continent eodem modo ægram ultra tres septimanas afficere, reliquis corporis functionibus manentibus integris.

Motus sensim primo in brachium dextrum redit, & 25ta Julii illud licet cum aliqua

aliqua difficultate in omnem partem movet, & jam sola incipit comedere: finistrum minus movere potest, & majori cum difficultate, quippe dolor humerum occupat, qui ad motum multum augetur: cessavit Dolor lancinans in utroque brachio: in sinistro autem sensus innumerarum perreptantium formicarum sæpius adest.

Initio Septembris brachio dextro motus perfecta libertate reddita, finistrum adhuc difficulter ob dolorem, qui humerum continuat occupare, movetur.

Datur illi quotidie præter prius dictum medicamentum Extracti aconiti gr. i.

His per 10. dies usa ab omni dolore liberata fuit, & utrumque brachium libere movit: abstinuit ab omni medicamento, & prima Octobris optime valens ex Nosocomio dimissa est.

CASUS

CASUS QUINTUS.

Puella 35. annos nata, cui menstrua semper pauca, & sæpe irregularia fluxerunt, febribus intermittentibus a prima juventute frequenter affecta, initio Maji vehementissima Ischiade nervosa utriusque lateris, doloribus per utrumque crus propagatis corripitur. Postquam per aliquot dies sævit dirum malum, perit in artubus motus: varia per totum mensem Majum & Junium absque levamine adhibentur, & prima Julii anni 1763. ad nos defertur.

Tanti erant dolores, ut ægra noctes diesque infomnes transigeret: pulsus erat parvus, mollis, apyretos: Respiratio illæsa: Functiones naturales sat bonæ.

Per 15. dies variis & optimis medicamentis conatus sum ægræ levamen adferre; verum nihil profuit.

16ta Julii dedi ipsi Infusum N. 2. quo per tres dies absque mutatione usa est.

19na Julii magnos concussus ab osse sacro incipientes subito per utrumque crus ad extremitates digitorum usque fulminis instar propagatos aliquoties passa est: post quos levamen aliquod habuit, & noctu fat pacate dormivit.

Cum medicamentum bene ferat, datur illi 20ma Julii Infus. N. 3. subitanei, quasi electrici concussus continuarunt bis, ter, quater Nychtemeri spatio usque ad 26tam Julii, qua penitus cessarunt. Dolores tunc multum remiserant, & ægra artus inferiores movere, & in lecto sedere poterat.

Postea medicamentum insensibiliter egit, & 2da Augusti ægra ab omni dolore libera, ex lecto surgit, absque incommodo per cubiculum deambulat.

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 17

Ufa est eadem medicamenti dofi usque ad Iomam Auguffi, & 15ta optime valens ex Noſocomio diſceffit.

C A S U S S E X T U S:

Fœminæ 50 annos natæ, laxi valde corporis habitus, a tribus annis ceſſavit menſtruus fluxus: poſtea per duos & medium annos fat bene valuit: ſub finem vero anni 1764. ad labores pigra evaſit, tarda: ſæpe inceſſit illam inſolitus ſomni amor, & memoria incepit vacillare: ſua tamen utcumque peregit, donec ultima Maji anni 1764. dum mane ex lecto ſurgere vellet, in terram conciderit aſphona.

1ma Junii poſt adminiſtratam venæ ſectionem, datum Enema, & applicata quinque Veſicantia ad noſtrum Noſocomium defertur.

Oculi ſunt fat boni, libero motu gaudentes: facies pallida, leucophlegmatica:

B

audi-

auditus utcumque viget, quod motu capitis & oculorum versus alta voce loquentes judicatur: lingua aphona, pura: deglutitio libera: truncus totus immobilis: omnes artus paralytici, insensiles: Urina vix non continuo parca effluit: Alvus liquida eodem modo excernitur: pulsus est mollis, parvus, minime febrilis: Respiratio fat bona.

Medicamentis solventibus, derivantibus evacuantibus, stimulantibus in - & externe usque ad quintam Julii diligenter applicatis, nihil omnino lucrati fuimus.

6ta Julii dedimus ipsi infusum N. 2.

9na Urina & alvus per plures horas retinentur, & post majori copia ad semel excernuntur.

11ma, 12ma hæ excretiones, licet omnia in lectum mittat, videntur copia & tempore naturaliter procedere.

13tia datur ipsi medicamentum N. 3.

16ta aliquis in brachium dextrum & artus inferiores sensu acuto nunc præditos redit motus: ægra conatur loqui, & subinde verbum exprimit: facies collabitur: lætorem colorem induit: cibos avide deglutit: minus frequenter dormit.

22da Julii ægra multa inconcinna sat libere loquitur: ad interrogata inepte respondet: manum sinistram & brachium anterius incipit movere, & cum reliquis artubus res continuo in melius pergit. Licet delira sit, neque Urinam neque Alvum amplius in lectum dimittit: excipulum a Custode petit.

Tertia Augusti mentis compos est ægra, & apte ad interrogata respondet: subinde tamen unum vel aliud verbum ad cogitationem suam exprimendam invenire nequit: omnes artus in lecto sat facile movet: sola comedit: functiones vitales & natura-

les bonæ: somnus bonus, naturalis: dolorem valde molestum in radice nasi conqueritur.

8va Augusti incipit ex lecto surgere, a custode adjuta parum incedere, & 13tia Augusti sola per cubiculum pluries deambulat: loquela quotidie liberior evadit: vires augentur.

23tia Augusti usui Arnicæ supersedetur: scœmina enim jam a pluribus diebus nullam amplius in loquendo remoram patitur: bene valet: robusta est: dolor tamen radicem nasi occupans nondum sublatus est,

6ta Septembris ob præfatum nasi dolorem continuantem datur iterum scœminæ Infus. N. 2. & quotidie Extract. Aconiti gr. 1.

His per 12. dies usâ scœmina ab hoc dolore libera evasit, & brevi post sanissima ex Nosocomio discessit.

CA-

CASUS SEPTIMUS.

Puella 30 Annorum torosa plethorici
temperamenti, alias fere semper sa-
na 25ta Junii anni 1764. ad nos defertur.

Ante triduum post validos labores su-
bito aphona facta fuerat, & exquisita pa-
raplegia correpta.

Larga Venæ sectione, qua compactus
sanguis eductus est, ter repetita: purgan-
tibus antiphlogisticis & aliis refrigeranti-
bus per septem dies adhibitis, respiratio
antea difficilis liberior reddita est, & pul-
sus depletus liber, mollis evasit; in reli-
quis autem nulla mutatio.

Datur ipsi Infusum N. 2. applicatur Nu-
chæ latum Vesicans, & omni triduo inter-
polatur lene purgans.

Sic pergimus usque ad 13tiam Julii:
aliquis motus licet obscurus & difficilis in
crura redit. Sola posthac Arnica utitur
ægra.

18va Julii motus artuum inferiorum continuo major evadit. Ægra subinde subfilit, quasi electro tacta: levis & in manuum digitis adest motus. Alvus quotidie semel, bisve naturalis sponte secedit.

Tanta sensim in melius mutatio facta est, ut initio Augusti omnes artus libere moverit; sola comederit, manente Aphonia & impotentia linguam axtra os exerendi. Reddita artubus motus libertate, nulli amplius subsultus adfuerunt.

24ta Augusti, eadem medicamenti dosi continuans uti ægra incipit plura verba articulate loqui; linguam extra os facile educit: Custodes in suo officio egregie sublevat; magnum vas aqua plenum sæpius in die ex area Nosocomii in primam ædificii contignationem adfert.

Nulla præter dictam Infusi florum Arnicæ dosin continuatam adhibito medicamento, linguæ & instrumentorum aliorum

VOCIS

vocis motus sensim ita liber evasit, ut ægra facile & diu loqui potens, ac raro ad verbum quoddam parum remoræ patiens, memoria, ratiocinioque bonis, robusta, omnibus functionibus naturaliter procedentibus 4ta Octobris ex Nosocomio discesserit.

CASUS OCTAVUS.

Fœmina 60. circiter annos nata, sat robusta adhuc & torosa 16ta Septembris anni 1765. ad nos advehitur.

Jam in tertiam septimanam ipsi insciæ excernebantur alvus & urina & tantum subinde, dum jam omnia conspurcaverat, surgebat excipulum petitura. Rarissime ante excretionem aliquid leviter advertibat, & tum surgendo, priusquam excipulum attingeret, omnia exonerabat. Alvus erat semper cocta, figurata, & quo ad reliqua sana erat fœmina.

Incaffum usque ad 7mam Octobris applicatis in - & externis optimis medicamentis 8va ejusdem mensis Infus. N. 2. incepit uti.

Sub usu hujus medicamenti res sensim in melius mutata est. Excretiones pedetentim minus frequentes evasere, & ægræ magis sensibiles.

Ufa est eadem Medicamenti dosi quotidie usque ad 23tiam Novembris, licet a duodecima ejusdem sanarum modo Urinam miserit, & alvum deposuerit.

17ma Decembris optime valens ad suos rediit.

CASUS NONUS.

Fœmina quinquaginta aliquot annos nata, tertia Novembris anni 1765. ex pago milliari ab hinc circiter distante huc venerat tempore pluvioso uvas venditura, redieratque densissima cadente pluvia domum:

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 25

num: bene valens, optimo cum appetitu sumpta cœna, lectum petierat, & brevi placide obdormiverat.

Sub matutinum tempus evigilans utriusque cruris & brachii motu penitus privata erat, superflite tantum aliqua in manus dextræ digitis mobilitate: neque poterat vel minime corporis truncum movere. Caput erat serenum, libero motu gaudens: sic sexta Novembris ad nos delata est.

Pulsus erat pacatissimus, mollis, plenitudine non peccans: respiratio sat libera: appetitus optimus: sitis nulla: alvus tarda & Urinæ excretio naturalis.

Medicamenta purgantia, diuretica, diaphoretica, sudorifera ad 18vam Novembris adhibita nihil in melius mutarunt: immo sub illorum usu manus sinistra & pes dexter œdematosè intumuerunt.

19na præscriptum est illi Infus. N. 2.

21ma Sensum formicationis in brachio dextro & artubus inferioribus sæpe repentem percipit.

22da Datur illi medicament. N. 3. hujus usum comitatur in artubus inferioribus sensus decurrentis citissime liquidum tepidum cum partium subito concussu. Hanc sensationem ter, quater, quinquies habet Nyctemeri spatio. Formicatione ab humero incepta & ad digitorum extremitates usque propagata, per unum duove horæ minuta durante brachium dextrum sæpius afficitur. Sinistrum subito lancinans dolor sæpe pervadit.

26ta Novembris brachium dextrum libero motu gaudet; sola comedit ægra: artus inferiores in lecto sat facile movet: disparuit œdema pedis dextri: manus sinistra & digiti voluntati quoque obediunt, licet œdematoso tumore adhuc distenti: subiti concussus & dolores breves lancinantes

tes

tes nunc omnes artus subinde diu, noctu-
que pervadunt.

30ma Novembris incipit e lecto surge-
re ægra, & a Custode parum sustentata
sat facile incedit. Concussus in artubus
inferioribus cessant, in superioribus, præ-
cipue in sinistro sat validi esse pergunt.

Brachium sinistrum antrorsum & pau-
lisper retrorsum movere, nullo modo au-
tem ob tensionem dolorificam Acromii,
quam jam ab aliquot diebus conqueritur,
elevare potest.

6ta Decembris ille dolor continuat:
datur ægræ, præter dictam florum Arni-
cæ dosin, quotidie extracti aconiti gr. i.

His per 14. dies continuatis, cessarunt
in artubus inferioribus concussus: sublatus
est integre dolor, & restituta brachio si-
nistro libera mobilitas: tumor œdemato-
sus manus & digitorum disparuit, ita, ut
de tanto morbo nihil amplius supersit: in-
cipit

capit vero tussire fœmina : quare missis factis Arnica & aconito , datur ipsi Decoctum emolliens, quo brevi tussis sedatur, & initio Januarii ad suos sanissima redit.

Toto tempore curæ frequenter leni sudore perfusa fuit, & 8 primis diebus diuresis copiosa fuit.

CASUS DECIMUS,

Fœmina 66. annorum 17ma Martii anni 1766. sana mane domo exivit : per aliquod tempus frigido aeri exposita subito mentis imposita facta est : immobilia facta sunt brachium & crus sinistrum.

Domum delatæ spirituosæ, frictions, Enemata, Vesicantia applicantur, & demum purgantia, quibus nullo modo in melius mutata 21ma Martii ad nos deferuntur.

To-

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 29

Totum latus finiftrum, excepto capite, sensu motuque perfecte privatum est: delirat continuo: somnus est brevis, interruptus: pulsus parvus, mollis, apyretos: respiratio difficilis, tarda: deglutitio libera: alvus non nisi Enemate vel purgante sumpto exoneratur.

Datur ipsi Infus. N. 2. 24ta Martii delirium multo minus est: somnus pacatus, magis protractus, & totum latus affectum dolere conqueritur,

25ta incipit Infuso N. 3. uti & 29na perfecte mentis compos est: loco doloris in latere affecto adest lenis, fere continuus fornicationis sensus.

3tia Aprilis manum & crus pedemque leniter movet: conqueritur subitas per totum brachium & crus per intervalla accedentes lancinationes. Quæ sexta Aprilis cessant, ambobus artubus naturali motu & sensu gaudentibus: respiratio libera est:
pul-

fus plenior, fortior, & reliquæ functiones naturales: pergit tamen eadem Medicamenti dosi uti usque ad 19nam Aprilis & 24ta ejusdem sana discessit.

CASUS UNDECIMUS.

Fœmina 54. annorum ab initio anni 1766. pectore valde anxie sub finem Februarii valde intumere crura, levato pectore.

Initio Martii pannis fumo aromatico imprægnatis artus tumidos per aliquot dies sæpe fricando omnem tumorem discussit: facta est autem auris dextra surda: brachium dextrum sensu & motu privatum est: humerum occupavit dolor ad Nucham usque extensus, ægram dire afficiens, vix unquam remittens. Variis incassum adhibitis ad nostrum Nosocomium 9na Aprilis venit.

Præ-

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 31

Præmissio purgante, medicamentis solventibus, diaphoreticis, diureticis &c. ad 16tam Aprilis absque levamine usæ est ægra, quare Infus. N. 2. ipsi præscripsimus.

19na Aprilis subitas ab humero ad extremitates usque digitorum decurrentes, per intervalla cum dolore repetentes, lacerationes conqueritur, & aliquis, licet valde parvus in brachio motus adest.

Hoc medicamento, accedentibus Nyctemeri spatio quater, quinquies lenibus concussibus, uti continuans ægra, prima Maji hora sexta matutina vehementissimos concussus, qui ab osse humeri ad aurem & os Zigomaticum fulminis instar tendunt, & octies, noviesve per medium horæ quadrantem repetuntur, sub quibus aliquoties ejulatus edit ægra & ambabus manibus dextrum capitis latus premendo sustinet, passa est.

Post-

Posthac brachium in omnem partem libere movet: surditas integre sublata est: cessarunt omnes dolores, & licet usque ad 10mam Maji eandem medicamenti dosim sumpserit, nulli amplius concussus, nullæ lancinationes amplius adfuerunt, & 13tia Maji sana dimissa est.

In hac ægra sub usu Arnicæ nulla præternaturalis evacuatio sensibilis facta est, licet a retropulsa materie morbosa crura occupante originem duxerit morbus.

CASUS DUODECIMUS.

Lotrix 60. annos nata vehementi ira 7ma Maji anni 1766. excandescit, post quam morosa, tristis manet: gna ejusdem toto latere sinistro fit paralytica, & tantum pauca verba vix intelligibilia balbutire potest: exquisita nempe Hemiplegia corripitur, cum qua 13tia Maji ad nos defertur.

Re-

Respiratio est sat libera: pulsus mollis, collapsus, apyretos: deglutitio sat facilis: alvi & urinæ excretiones naturales.

Præmissis purgante datur ipsi medicament. N. 2. quo per tres dies usa incepit paulo intelligibilius loqui, & fere continua fornicatio totum brachium & manum ad digitorum apices usque invasit: cui decima octava Maji accesserunt lenes concussus, sæpe repetentes. Hisce continuantibus 20ma omnes digitos manus affectæ movet: incipit sensum decurrentium fornicarum per totum femur, crus & pedem percipere.

Præscribitur illi Infus. N. 3.

22da Maji dolores lancinantes & concussus validos, sæpe repetentes in crure & brachio patitur: brachium sat libere movet, crus cum difficultate parum sursum ducere & extendere potest: non amplius balbutit: mentem tamen suam semper ex-

C

acte

acte exprimere nequit, quod subinde requisitum verbum invenire non possit: facies sensim ad statum naturalem redit.

29na Maji facies omnino naturalis: loquela libera: brachium omnis doloris & concussus expers libero motu gaudet: crus in lecto sat facile movetur, lenius & minus frequenter concutitur. Ægra autem præcordiorum anxietatem & oris amarorem conqueritur: leniter febricitat: lingua est pura.

Sumit ægra medicamentum antisepticum leniter purgans per binos dies: dein datur ipsi Rob. sambuci cum nitro: quo per sex dies continuato morbus accessorius sopitus est, & ægra ab omni medicamento abstinit.

Toto tempore quo ab Arnica abstinit ægra, cessarunt concussus & lancinationes, sed 14ta Junii ita dolorificum factum est crus, ut accedentes jam a longe rogaret, ne

ne illud tangerent: maxima autem doloris fedes in poplite erat, cujus tendines breviores redditi crus retrorsum trahebant. Redditum est illi Infus N. 3.

17ma Junii cessarunt omnes dolores: crus libere in lecto movet, & illi insistere, non tamen incedere valet.

Eadem perrexit medicamenti dosi usque ad 4tam Julii uti, & 12ma ejusdem sana pedes domum libero utriusque artus usu gaudens redivit.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

Ancilla triginta quatuor annorum, torosa, robusta, post validum corporis exercitium per plures horas continuatum, frigidam calenti corpori affatim ingressit: & paulo post animi deliquium passa est, quo finito dextrum crus & brachium, manus digitis incurvis, paralytica comperit. Sequenti die, tertia nempe

23101

C 2

Octo

Octobris anni 1766. in hoc statu ad nos delata est.

Menstrua evacuatione ante decem dies, quæ alias fere semper regularis fuerat, gaviſa erat: functiones vitales rite procedebant: appetitu carebat, & de pondere in regione Epigaſtrica conquerebatur.

Medicamentis ſolventibus, purgantibus per biduum uſa, frequenter purgata eſt: diſparuit pondus epigaſtrium gravans: nulla autem in partibus paralyticis facta eſt mutatio.

Quinta Octobris Infuſ. N. I. incipit ſumere. Octava dolores ab humero per totum brachium ad apices uſque digitorum ſubito lancinantes, & brevi iterum ceſſantes, aliquoties Nyctemeri ſpatio repetentes pati cœpit, & ſequenti die jam digitos parum movere poteſt.

Decima Octava Novembris brachium, manus & digiti libero motu gaudent: dolores

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 37

lores lancinantes jam a sex diebus in illis cessarunt: inceperunt autem a coxa & osse sacro totum crus ad digitos usque pedis tanta cum vehementia subinde pervadere, ut ægra in lachrymas prorumpat: hoc tamen nullo modo adhuc movere potest.

Vigesima tertia Novembris pedem & illius digitos parum movet. 2da Decembris Crus sursum trahit, & extendit ad voluntatis nutum: dolores de vehementia sua aliquid amiserunt.

Circa medium Decembrem incepit cruri insistere & a custode sustentata parum incedere: dolores lancinantes raro nunc invadunt, & sunt valde lenes.

Pergit Medicamento uti usque ad 15tam Januarii: redit sensim in crus & brachium robur: & puella perfecte curata, omnium functionum debito exercitio gaudens 29na Januarii dimittitur.

Tempore curæ aliquoties lene purgans
sumpsit: quo excepto tota cura infus. N.
I. perfecta est.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

Juvenis 18. annos natus 31ma Decem-
bris 1766. decima quarta morbi acu-
ti die cum petechiis fuscis, alvum & urinam
insecus in lectum dimittens, delirans, cum
pulsu flaccido, debili vix febrili: respira-
tione sat bona ad nos defertur.

Sub usu spiritus vitrioli, contrajervæ,
corticis peruviani sæpius sudavit æge;
disparuere Petechiæ, delirium: alvus &
urinæ excretio debito modo processerunt:
& circa 27nam morbi diem visus est re-
convalescere.

18va Januarii subito aphonus factus est:
sensus & motus expers & brevi post in
somnia profundum cum pulsu lento, tar-
do, debili, inæquali & respiratione pulsui
simili

simili lapsus est: a quo validis irritantibus excitatus oculos parum aperiebat, & statim iterum claudebat, continuans dormire.

Vesicantia applicata, mota, quantum vires sperabantur ferre posse, alvus, data medicamenta penetrantissima nihil effecerunt. Manet lethargicus æger, & omnia symptomata eadem.

22da Januarii datur ipsi Infus. N. 1.
23tia facilius excitatur, & non tam cito in somnum relabitur: incipit medicamentum N. 2. sumere.

25ta Sponte aliquoties evigilat, & sat diu vigil manet: pulsus est plenior, magis æqualis, solidus: videtur mentis compos: sed aphonus manet.

28va sat distincte incipit loqui: vires redeunt: solus se in lecto erigit & magnum habet appetitum. Reliquæ functiones naturales.

Sumpfit idem medicamentum usque ad
12mam Februarii & 16ta ejusdem sanus
dimissus est.

CASUS DECIMUS QUINTUS.

Virgo 55. annorum vix unquam ægro-
ta, robusta, plethorici temperamen-
ti, laboribus domesticis a juventute mul-
tum exercitata, a 12. annis mensuris ca-
rens, venæ sectionem, ex quo menses e-
manserunt, bis, terve in anno celebrare
solita, quam jam ultra annum neglexerat,
tertia Maji anni 1769. vehementi ira ex-
candescit, sub qua ad terram exquisita
lateris dextri Hemiplegia affecta concidit.

Facies est rubra, tumida; oculi sunt inflam-
mati: pulsus plenus, durus, parvus; apyre-
tos: respiratio sat libera: deglutitio difficilis.

Bis instituta venæ sectione, repetitis
enematibus deglutitio facilior reddita est,
& febris magna insurrexit,

Datis

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 41

Datis medicamentis purgantibus, refrigerantibus, antiphlogisticis & sexies repetita venæ sectione, qua sanguis compactus, densa crusta phlogistica tectus semper eductus est, sexta morbi die pulsus liber, mollis, collapsus evasit, & febris multum minuta est: disparuit faciei tumor & rubor, ac oculorum inflammatio; & ægra quædam verba magis intelligibilia subinde proferebat.

8va Morbi die comatosa evasit, lingua magis impedita: pulsus tamen fere idem est ac sexta, & iisdem medicamentis continuat uti.

Hyrudines retro aures applicatæ ultra octo sanguinis uncias educunt: applicantur plantis pedum acria Epispatica & Nuchæ, & femoribus lata vesicantia, quæ epidermidem in magnas bullas sero plenas elevant.

9na Coma sublatum est: reliqua immutata manent. Bina vesicantia brachiis applicantur: continuantur Epispastica, quibus omnibus nihil ulterius effectum est.

14ta Morbi die pulsu in utroque brachio molli, collapsio, minime febrili, alia medicamenta missa feci, & ægra Infus. N. 3. incepit, continuavitque per quatuor dies absque mutatione uti: quare 18va morbi die Infus. N. 4. ipsi præscriptum est.

22da Maji Angulus oris sinister humilior est: fere omnia intellectu facilia loqueretur, ni phrasas sæpe interrumperet dificiens cogitationi suæ exprimendæ idoneum verbum. In toto brachio, coxa, crure & lingua dolores urentes patitur.

24ta Maji dolores subito lancinantes in brachio & crure affectis sæpe repetentes, a superioribus deorsum ad apices digitorum usque propagati ægræ molesti sunt: digitos manus & pedis movet.

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 43

25ta hi dolores sunt minus frequentes: crus ad latera movet: illud licet difficulter sursum trahit, & denuo ad voluntatis nutum extenditur: loquela continuo liberior fit: dextræ partis faciei paralyfis disparuit: brachium autem immobile manet. Datur ipsi Infus. N. 5.

28va Crus in lecto libere movet: omnes dolores in illo cessarunt: brachium subinde cum tremore concutitur, atque ægra sub concussibus sibi videri liquidum tepidum subito per totum brachium trajici: illud incipit parum movere.

5ta Junii brachium in omnem partem libere movet; dum tamen manu aliquidprehendit, illud minus firmiter tenet, nec illo adhuc comedere potest, incipit cruri parum insistere.

9na Junii a custode adjuta sæpius per cubiculum incipit ambulare, brachio dextro libere utitur, sola comedit, & raro
aliquod

aliquod verbum occurrit, ipsam in loquendo remorans, quod tamen sat cito invenit.

Sub continuata ultima medicamenti dosi res ita sensim in melius mutatae sunt, ut 18va Junii sola incedat, & æque libere ac ante morbum loquatur.

Postea Infusum Theiforme florum Arnicae tantum bis vel ter in die sumpsit, & vires ita recuperavit, ut mense Julio solita munia obiverit, quibus adhuc fungitur sana.

Ex quo Arnica uti incepit, præter bis datum purgans, nullum aliud sumpsit medicamentum: functiones enim vitales & naturales debite semper processere.

CASUS DECIMUS SEXTUS.

Fœmina tringinta annos nata a 9. mensibus exquisita hemiplegia lateris dextri laborans, 24ta Junii anni 1770. ad nostrum Nosocomium defertur. Narrabat amica

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 45

amica illam debito tempore copiosa & regularia menstrua semper habuisse, & ab aliquot annis vehementi cephalalgia sæpe per plures dies durante frequenter affectam fuisse, sub qua demum hemiplectica evaserat.

Dum ad nos deferebatur, menstrua rite fluebant: reliquæ functiones naturales rite procedebant. Respiratio erat bona, pulsus parvus, mollis, valde febrilis, qui 26. cessante menstruorum fluxu, tantum 64. pulsationes debiles, parvas, molles intra horæ minutum habet.

30ma Junii datur ipsi Infus. N. 3. Tertia Julii datur Infus. N. 5. quod cum ægra optime ferat, illi quinta Julii formula N. 6. præscribitur. Incipit jam crus movere.

Septima Julii linguæ motus liberior fit: incipit varia verba sat intelligibilia loqui: brachium & crus dolores lancinantes cum
parti-

partium tremore sæpe pervadunt, cito cessantes: crus continuo magis & facilius movet: aliquis in brachium superius motus redit, qui in inferiore abest: digiti manus immobiles.

18va Julii libere & absque incommodo incedit: totum brachium in omnem partem movet: manus & digiti quoque ad voluntatis nutum moventur, sed debiles sunt, nec sola adhuc comedere potest: fere omnia libere loquitur, subinde tamen verbum aliquod, quod exprimere non potest, loquentem remoratur: Functiones naturales & vitales optimæ.

Ægræ nunc valde displicet medicamentum. Quare loco Infusi N. 6. datur illi Formula N. 3. cui simul infunduntur flores verbasci, & additur parva dosis Aq. Cinnam. Buglossit. Frictiones in toto brachio adhibentur, & brachium anterius diu bis de die in balneo ex herbis aromaticis

aquæ

aquæ infusis & addito sale ammoniaco constante retinetur.

His per sex septimanas continuatis nihil ultra lucrati fuimus, & ægra de ulteriori emendatione desperans, quoad reliqua optime habens ex Nosocomio discessit.

CASUS DECIMUS SEPTIMUS.

Operarius quadraginta circiter annos natus, a pueritia semper sanus, undecima Augusti anni 1770. ex prima domus contignatione noctu hora decima in pavementum lapideum cecidit: visus est adstantibus mortuus.

Vena secta ad se rediit, crure & brachio sinistris paralyticis: post varia domi incassum ahibita 21. Augusti ad nos deferretur.

Soporosus est, multum febricitat, respiratio est anxia: abdomen tensum, dolorificum: lingua sicca. Applicatur Nuchæ

chæ vesicans: dantur illi medicamenta refrigerantia, antiphlogistica, leniter purgantia, quibus per septem dies continuatis, pulsus mollis, collapsus, pacatissimus & respiratio liberior facta sunt: cessarunt abdominis tumor & dolor: sopor disparuit, manente cruris & brachii paralyfi.

28va Augusti incipit Infus. N. 2. sumere: sub hujus usu inceperunt artus paralytici dolere.

8va Septembris Infusum N. 3. ipsi præscriptum est: sub quo subito dolores a superioribus ad apices usque digitorum per brachium & crus lancinantes frequenter accessere: sensim ita in utrumque rediit motus, ut 15. Novembris libere incederet æger: manum & brachium antèrè facile in omnem partem moveret: superius autem cum difficultate ob impedimentum dolorificum articulum humeri occupans elevabat: dolores lancinantes ab hume.

humero ad cubitum subinde adhuc percipit, qui in brachio anteriori & crure penitus cessarunt.

24ta Novembris cum idem in humero motus impedimentum permaneret, æger ab assumpto medicamento nauseas pateretur, datum est illi tantum Infus. N. 2. & Extracti aconiti gr. 11. quotidie sumenda. His ad 20mam Decembris usque continuavit uti: omnis dolor in humero cessavit, sicque brachio reddita est plenaria motus libertas, ac æger brevi post perfecte sanus ex Nosocomio dimissus est.

CASUS DECIM. OCTAVUS.

Fœminæ 40. annos natæ prima menstrua, valde mature erupere semperque tempore & quantitate irregularia fluere: post vigesimum ætatis annum menstruam evacuationem præcessit fluor albus, urens, per unum, sæpe per duos dies du-

D rans:

rans: hic fluxus per sex annos continuavit, & demum cessavit, orto in utroque crure ulcere saniem fundente, quorum unum post annum sponte coaluit: aliud post biennium arte curatum est. Post hac doloribus arthriticis omni anno pluries, modo citius, modo tardius cessantibus affecta fuit, quorum tempore venæ sectio adhibita aliquod levamen semper attulit.

Adulto vere anni 1770. feбри tertiana correpta fuit, qua per tres menses laboravit, & sub qua menstruus fluxus emanavit, ab eo tempore non amplius apparens.

Sublata feбри, dolores artuum fuere continui, subindeque ita intensi, ut ægra quasi tetano universali correpta rigidissima jaceret, vel artubus convelleretur.

Prima Maji anni 1771. dolores omnes cessarunt, & factum est totum crus dextrum paralyticum, ægra sensum glacialis fere frigoris in illo patiente.

Dowii

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 51

Domi decumbenti multa applicata fuere in - & externa medicamenta, quæ nullum ipsi levamen attulerunt, & demum 8va Octobris ejusdem anni ad nostrum Nosocomium defertur.

Pulsus est valde mollis, debilis apyretos: respiratio sana: functiones naturales bonæ: color cutis Cachecticus: Gingivæ pallentes, a dentibus secedentes, sub duriorum comestione sæpe sanguinem fundunt. Crus dextrum tactu multo minus calens deprehenditur, quam sinistrum.

Datur illi Infus. N. 2. quod cum optime ferat, 13tia Octobris formula N. 3. ipsi præscribitur.

Sub hujus usû sæpe sudat ægra: subinde validos concussus ab osse sacro per totum crus ad digitorum apices usque subito propagatos cum subito pedis cruris affecti ad natem ejus lateris raptu & subsequente facili extensione patitur. Denuo

incalescit totum crus. 22da Octobris cessant concussus & 25ta Octobris foemina sola per cubiculum incedit.

Præter solitam Arnicæ dosin datur foeminae colorem adhuc cachecticum habenti conserva ex herbis antiscorbuticis: his utitur usque ad finem Novembris: dein sana Nosocomio valedicit.

CASUS DECIM. NONUS.

Puella 24. annorum provecto jam morbo petechiali epidemico affecta 21ma Octobris 1771. ad nostrum Nosocomium defertur: zoma videtur ab omni morbo libera.

Initio Novembris dolores profundos, urentes, lancinantes, acutissimos in crure sinistro patitur, qui non obstantibus variis in - & externe adhibitis per novem dies ægram cruciarunt, & dein crus totum torpidum, immobile reliquerunt.

14ta

14ta Novembris incipit Infus. N. 4.
fumere.

18va Dolores lancinantes a coxa ad
genu incipit subito pati, subinde repeten-
tes. 20ma hæ lancinationes ad digitos pe-
dis usque propagantur, & incipit aliquis
in pedem motus redire.

Sensim totum crus sensum naturalem
adeptum mobilitatem acquisivit. 4ta Ja-
nuarii 1772. absque dolore incipit incede-
re: medicamento adhuc per aliquot dies
utitur, & sana discedit.

CASUS VIGESIMUS.

Vir tringinta aliquot annos natus a mor-
bo Petechiali epidemico per sex di-
es reconvallescere videtur: dein debilissi-
mus fit, incipit difficillime loqui: sopore
fere continuo detinetur, & sensus in toto
corpore ita perit, ut acuto instrumento
vellicata cute nihil percipiat ad omnia in-

D 3

diffe-

different: pulsus est mollis, debilis, parvus, vix febrilis: respiratio lenta & tarda.

Datur ipsi 23tia Novembris 1771. Infus. N. 4. sub cuius usu omnia ita in melius mutata sunt, ut 5ta Decembris omnibus functionibus naturaliter procedentibus, naturali toti corpori sensu restituto, viribus bonis, mente serena, alacri, Æger medicamento non amplius indigerit, & brevi post discesserit.

CASUS VIGESIMUS PRIMUS.

Fœmina 53. annorum, cum jam ultra annum crure sinistro difficulter uteretur 28va Octobris anni 1771. apoplexia tangitur: binis institutis venæ sectionibus, enematibus, purgantibus &c. Post 20. horas soluta apoplexia crus sinistrum omni motu sensuque privatum reliquit. Domi incassum multis usâ est, remediis usque

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 55

usque ad 26tam Novembris, qua ad nos delata est.

Pulsus erat valde debilis, parvus, lentus, mollis, inæqualis: respiratio lenta, tarda: appetitus paucus, sitis nulla: alvus naturalis: ægra valde debilis: totus Corporis habitus flaccidus, pallidus.

Datur ipsi Infus. N. 5. Medicamentum in hac fœmina neque concussus neque dolores lancinantes excitavit: post octiduum totum crus sensibile factum est: redivit appetitus: vires renasci & functiones vitales in melius mutari cœperunt: crus sensim ad voluntatis nutum mobile evasit, & sub finem Decembris illi insistere & incedere incepit.

Perrexit eadem medicamenti dosi uti usque ad 14tam Januarii 1772. & perfecte curata ad suos redivit.

CASUS VIGESIM. SECUNDUS.

Femina torosa 50. annos nata, cui jam a triennio menstrua non amplius fluunt, septima Decembris anni 1771. cadit apoplectica.

Post celebratam largam venæ sectionem solvitur apoplexia manente linguæ & artuum inferiorum perfecta Paralyfi, brachiis perfecte immobilibus, superstite aliquo in manibus motu.

8va Decembris ad nos defertur.

Pulsus est debilis, mollis, flaccidus: respiratio sat bona: deglutitio facilis. Applicantur tria vesicantia: unum Nuchæ, duo femoribus, & medicamentum purgans partitis dosibus incipit ægræ propinari, quibus nihil in melius mutatur,

Undecima decembris datur illi Infus. N. 4. dum alvus tardior fit, Enema injicitur.

18va Decembris incipit jam quædam articulate loqui, brachia parum movere:

sed

sed ingentes patitur in toto in - & externo capite dolores sæpe ultra mediam horam acerbi manentes, dein remittentes, frequenter exacerbatos. Præter dictum medicamentum dantur ipsi Emulsa Diacodiata.

23tia Decembris loquela facilis est: artubus superioribus libere utitur: capitis dolores continuant, sed multo leniores: crura in lecto cum difficultate incipit hinc inde parum movere.

25ta Caput ab omni dolore liberum est: sola ex lecto surgit, & parum sustentata utcumque incedit.

Pergit eadem medicamenti dosi uti usque ad nonam Januarii, quacum nihil de morbo superfit. ab illo abstinet: & sana initio Februarii dimittitur. In hac ægra nulli in artubus dolores, nulli coucuffus animadverfi fuere.

CASUS VIGESIMUS TERTIUS.

Operarius 55. annos natus 2da Decembris anni 1771. Absque causa manifesta prægressa subito exquisita artuum inferiorum paralyfi cum sensus & caloris abolitione a genibus ad apices digitorum corripitur. Subinde parum tussitat: collum indolens difficulter movet: per quinque menses multiplici methodo ipsius cura tentatur: nulla in melius fit mutatio; immo prioribus malis pedum & crurum tumor adjungitur: functiones tamen naturales manent bonæ: pulsus est debilis, parvus, mollis, apyretos.

26ta Aprilis datur medicam. N. 7.

28va Subitos concussus a coxis ad genua pergentes, valde dolorificos, per quadrantem horæ durantes, aliquoties in die repetentes, tremorem levem crurum & pedum comitem habentes pati incipit: medicamentum optime fert.

12ta

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 59

12ma Maji sensus & calor in crus & pedem redierunt : tumor œdematosus disparuit : crura sat facile movet.

19na Maji Baculo se sustentans incipit incedere & 26ta absque baculo libere incedit : collum autem immutatum manet, & continuat subinde tussitare. Præter arnicam datur ipsi decoctum radicis salab.

Sub horum usu omnes functiones bonæ manserunt usque ad 13tiam Junii, qua prostrato penitus appetitu incepit difficile spirare, valde febricitare; arteria erat dilatata, vacua, flaccida. Antiseptica, acida, & roborantia exhibita nihil juverunt : 16ta post meridiem mortuus est.

In cadavere inventus est pulmo dexter totus gangrænofus : sinister erat sanus, sed fortibus filamentis pleuræ annexus. Ultimæ colli & quinque primarum dorfi vertebrarum (a superioribus numerando) corpora consumpto periosteo, cariosa erant,
mul-

multis foraminibus usque in cavum vertebrale penetrantibus perforata, atque foramina communia ultimæ vertebræ colli & primæ dorfi exesa, circumferentia valde aucta erant: inter vertebrae & adjacentem cellulofam abscessus purulentus erat, ultra uncias tres puris adhuc sat boni continens.

CASUS VIGESIMUS QUARTUS

Vir 36. annorum 2da Aprilis 1772. febrî petechiali Epidemica corripitur, quæ post 17mam morbi diem videtur cursum absolvisse. 23tia Aprilis, dum de exantlato morbo gaudet æger, tota manus dextra sensu privatur, friget: digiti extensi tument; rigidi sunt & manum pendulam nullo modo movere potest.

Formenta, balnea, frictions, linimenta usque ad quintam Maii adhibita nullam mutationem attulerunt: quare dedi ipsi medicam N. 8.

roma

10ma Maji calet tota manus : videntur ægro innumeræ formicæ per illam decurrere, & incipit parum ad voluntatis arbitrium moveri.

12ma Manus detumuit : naturali sensu & motu gaudet, fortis est; missum fit medicamentum, & vir perfecte sanus 19na ex nosocomio discedit.

CASUS VIGESIMUS QUINTUS.

Fœmina robusta 60. annos nata, post perpeffos in infantia morbos variolosum & morbillosum sana usque ad 31mum ætatis annum vixit.

Trigesimo primo ætatis anno magno terrore affecta in validas totius corporis convulsiones incidit, quæ per quinque annos omni mense ter quaterve illam invaserunt : per biduum, subinde etiam triiduum cum brevibus intermissionibus continuantes.

Po-

Postea iterum sana vixit usque ad quadragesimum octavum ætatis annum, quo cessante menstruo fluxu, lateris sinistri paralyfi correpta est, manentibus loquelæ libera & ratiocinio illæso. Variis in & externe applicatis medicamentis ac præcipue Balnei Badensis usu curata fuit: ita tamen ut artus multum debilitati manserint: unde ægra ab eo tempore semper claudicavit, & brachio sinistro vix quatuor libras levare potuit. Cæterum sat bona sanitate iterum fruita est ægra.

Sexta Augusti anni 1772. mane apoplectica cadit: vespere ad nos defertur: pulsus est lentus, tardus, parvus, mollis, inæqualis, respiratio crebra, difficilis, profunda, inæqualis, subinde stertens: deglutitio est valde difficilis: frigent extrema. Applicantur quinque vesicantiæ: enemata injiciuntur: ingeruntur ipsi sæpius parvæ medicamenti cardiaci doses.

Se-

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 63

Septima Augusti oculos aperit : audit :
latus dextrum sensu præditum est : faci-
lius deglutit : frequenter purgatur ; apho-
na est : exquisita Hemiplegia totum latus
sinistrum occupat cum sensus abolitione :
extrema ut ante frigent.

Præscribitur illi medicament. N. 6.

Decima tertia Augusti digitos ma-
nus movet : levis quoque ad volunta-
tis nutum observatur in crure motus : par-
tis sinistrae faciei musculi incipiunt iterum
agere : os minus contortum est : multa
balbutiendo loquitur non intelligibilia :
blandus calor totum corpus pervasit : val-
de appetit ægra, & continuat quater quin-
quiesve quotidie purgari : jam autem si-
gnum dat, ut supponatur excipulum.

Decima quarta Augusti articulate loqui-
tur, & sat libera esset loquela ni sat fre-
quenter deficeret verbum ad mentem suam
exprimendam.

Ait

Ait se jam a septem diebus sensum per totum latus sinistrum decurrentium formicarum frequenter percipere, quibus interponuntur dolores subito per artus lancinantes & in trunci sinistro latere scindentes, quasi tenues acuti cultelli per carnes trajicerentur.

Decima quinta manum libere movet, brachium elevat: crus & sursum ducere & iterum extendere incipit: alvus pergat esse laxa: inde tamen non debilitatur ægra, quæ continuat eandem Medicamenti dosin sumere ac ante.

Vigesima parum sustentata incipit incedere, & vigesima tertia sola per cubiculum deambulat claudicans: brachium forius est, quem ante morbum.

Octava Septembris dejectiones alvi solito frequentiores comitantur tormina & tenesmus: missa fit arnica: hujus loco decoctum rad. Salab sumit ægra, sub cu-
jus

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 65

jus usu per biduum continuato, cessarunt tormina & tenesmus, & alvus naturalis evasit.

Decima quinta Septembris ex nosocomio egressa est, minus claudicans, & brachio ac manu viribus longe majoribus pollente, quam ante hunc novum morbi insultum.

CASUS VIGESIMUS SEXTUS.

Fœmina sanguinei Temperamenti, 36. annos nata, postquam a tribus annis menstrua evacuatione, quæ alias copiosa & regularis semper fuerat, caruisset, 33tio ætatis anno apoplexia tacta est, quæ variis adhibitis soluta, post se Hemiplegiam lateris dextri reliquit, a qua usu florum arnicæ per duos menses continuato, perfecte curata est. Rediere menstrua, quæ per annum regularia, sed pauca

E flu-

fluxere, & postea Denuo penitus eman-
sere.

Decima Septembris anni 1772. triennio
post primum insultum denuo apoplexia
tangitur, cum respiratione magna, crebra,
stertente: pulsu pleno, magno, duro
valde febrili.

Vena bis secta, sanguis densus, phlogi-
sticus educitur: dantur enemata, & anti-
phlogistica, purgantia medicamenta, quæ
difficulter deglutit: adhuc ea die disparet
apoplexia: aponia, fœcum & urinæ in-
scia in lectum excretionem & exquisita to-
tius lateris dextri paralyti post se relicti.

11ma repetitur venæ sectio: sanguis est
ut prior: 12ma autem Septembris sanguis
eductus bonus est: pulsus collabitur, fit
liberior, mollior, minus febrilis. Vesti-
cans Nuchæ applicatur, & continuatur
priorum medicamentorum usus.

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 67

15ta Septembris incipit medicamento
N. 6. cui nitri puri dr. i. addita est,
uti.

17ma musculorum dextræ partis faciei
actio incipit reviviscere : facies est minus
contorta : jam pauca incipit articulate loqui :
aliquis vix sensilis in artus redit motus.

22da Septembris disparuit omnis paraly-
fis. Valde magnus est appetitus : omnes fun-
ctiones bonæ : fœmina adhuc per octo dies,
interposito purgante, eodem medicamento
continuat uti & brevi vires recuperat.

CASUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

Puella 25. annorum circa undecimum
ætatis annum feбри miliari graviter
decubuit : menstrua ipsi decimo tertio æta-
tis anno prima vice erupere, quæ ab eo
tempore pauca, sæpe irregulari tempore
fluxere.

Anno ætatis vigesimo tertio Chlorotica facta vehementes capitis dolores per plures menses passa est: ab his & a chlorosi adhibitis per binos menses multis remediis liberata est, & menses, licet pauci sat regularem periodum servarunt usque ad mensem Septembrem anni 1772. quo incepere. 8. 12. 15. diebus tardius apparere, & adhuc parcius solito fluere: atque tunc vehementibus totius capitis doloribus correpta est puella, qui a nullis medicamentis levati eadem cum acerbitate continuarunt, donec decima quinta Januarii anni 1773. musculis finistris colli & capitis paralyti affectis, caput supra humerum dextrum conciderit immobile, tumente valte tota facie & dextro angulo oris fursum ducto. Sinistra externa capitis pars sensu integre privata est, ut ad nullum stimulum aliquid percipiat ægra, dum interius vehementes patitur dolores:

dex.

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 69

dextrum capitis Hemispherium ab omni dolore liberum est.

Varia per 8. dies in & externe usurpata remedia nihil juverunt: quare 23tia Januarii ad nostrum nosocomium delata est.

Pulsus est mollis, flaccescens, apyretos: respiratio difficilis: alvus laxa: præ doloribus internis finistri capitis Hemisphærii sæpe ejulat ægra: datur illi medicamentum N. 6. & emulsum paregoricum.

Quatuor primis ab usu medicamenti diebus nihil lucrari videbatur: postea autem sensim parum remisere dolores: facies ita collapsa est, ut quarta februarii de tumore nihil supersit: os naturalem directionem habet: functiones vitales bonæ: caput minus firmiter humero dextro appressum.

Undecima februarii caput erectum est, & in omnem partem libere movetur:

E 3

inter-

interni dolores sunt mediocres : externe
stupido sensu donatum est Hemisphærium
capitis sinistrum : vires augentur , & reli-
quæ functiones sunt bonæ.

Decima octava Februarii incipit surge-
re ægra : faciei bonus color renascitur :
sensus tamen naturalis in parte affecta
nondum adest : & subinde adhuc dolores
internos conqueritur.

Quarta Martii perfecte curata disce-
dit.

CASUS VIGESIMUS OCTAVUS.

Virgo 59. annos nata a prima juventu-
te operam educationi nobilium puel-
larum navavit , & fere semper sana vixit ,
donec 46to ætatis anno , cessante menstruo
fluxu capitis doloribus subinde recurren-
tibus , & aliis levibus incommodis ince-
perit affici.

Ab

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 71

Ab illo tempore suafu medici quotannis bis terve curavit sibi robusta & torosa foemina venam secari.

Initio Decembris anni elapsi, postquam jam per sex septimanas iræ & tristitiæ multum indulisset, apoplexia tangitur: curam illius gesserunt bini medici usque ad trigessimam Januarii, qua, cum non obstante diligenti aptorum medicamentorum applicatione res ægræ continuo deteriores fierent, & jam a pluribus diebus medici emanerent, ad illam vocatus fui. Inveni illam exquisita lateris dextri Hemiplegia affectam, vix tria verba successive potentem loqui, deliram, soporosam, graviter audientem, valde debilem, emaciatam, brachio dextro magis extenuato, quam sinistro, medicamenta omnia recusantem, alvum & urinam sub se nullo dato signo dimittentem: & ingenti decubitu gangrænofo supra os sacrum affectam, in cujus peripheria margo separationis

observabatur: oculorum bulbos protuberantes: pupillas nimis dilatatas: visum hebetem.

Respiratio est inæqualis, nunc fat bona, brevi post anxia, crebra, celeris: pulsus parvus febrilis, subdurus.

Vesicans nuchæ applicatum est: datum Enema Emolliens, & præscriptum infus. N. 2. cum floribus verbasci, addita nitri dr. 1. β. ut omni bihorio vasculum sumat. Sub hujus usu per quatuor dies continuato visa est reviviscere: vires auctæ sunt, & sopor multum minutus est: alvus quotidie secessit. Ut tamen major a capite derivatio fieret quarta Februarii datum est illi lene purgans, quod alvum sexies movit, & dein medicament. N. 3. cui Nitri dr. 1. addita est, cœpit sumere.

6ta Februarii ægra paulo melius loquitur, minus delirat, facilius audit: sopor disparuit, oculi minus protuberant: pupillæ

læ

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 73

læ sunt minus dilatata: signum dat, dum alvum deponere vel urinam mittere debet: crus sursum ducit, & facile extendit: digitos manus parum movere incipit: valde appetit: alvus quotidie semel bisve sponte secedit: sæpius sudat ægra.

10ma Februarii circa prandium vehementer in custodes irascitur, quod ciborum, qui nimii erant, partem auferant, ferius ipsi porrecturi: rubet, inflatur facies: oritur febris magna cum pulsu duro & anxia respiratione: circa vesperas educitur ex brachio sanguis valde phlogisticus: præscribitur ipsi mixtura cum Rob sambuci, nitro & sale Polychresto: & enema injicitur, quod sequenti die repetitur, ut alvus fervetur laxa: his non obstantibus circa vesperas denuo artus æque paralytici fiunt, ac ante. Et ægra aphona jacet cum pulsu febrili, debili, parvo: respiratione anxia, lenta. Sic illam 12ma

februarii mane adhuc inveni : adstantes enim , credentes de illa actum esse me prius non vocarunt.

Plagæ a priori vesicante nuchæ appo-
fita nondum cicatrizatæ recens emplastrum
vesicatorium applicatur : omni bihorio va-
sculum infusi. N. 2. cui nitri dr. β. addi-
ta, ægræ porrigitur : alvus enematibus,
quantum vires videntur permittere , solli-
citur.

15ta Februarii status ægræ est, ut erat
ultimis diebus ante ultimum morbi insul-
tum.

20ma loquela multo liberior est : quam
ante. Facies & oculi naturales : brachium
anterior facile sursum elevat : manet ta-
men subdelira.

22da medicamentum recusat : & irasci-
tur , dum illud sumere debet : quare ab
illo abstinetur & datur illi mixtura , quæ
liquoris C. C. succinati dr. III. & nitri
scr.

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 75

scr. 11. continet, Syrup. Rub. Idæi
edulcorata, per Nychtemerum assumenda:
hac per 4. dies continuata nihil omnino in
melius mutatur: Immo sub illius usu al-
vus stipata evadit.

26ta datur ipsi lene purgans & 27ma
præscriptur sequens.

℞. flor. arnic unc. β.

Infund c. Aq. fervid. ℥. q.

Per $\frac{1}{2}$. hor. vase clauso.

Sub finem momento ebulliant.

Colat. unc. viij. adde.

Liquor. C. C. succin. dr. i.

Nitri pur. dr. β.

Syr cerafor. unc. ijβ.

M.

S. omni bichorio unc. iβ. fumat.

Sic mutato odore & sapore medicamen-
tum libenter sumpsit ægra.

4ta Martii magnos dolores in humero,
cubito, & in toto crure affecto conque-
ritur

ritur: utrumque in lecto facile movet: & si erigatur, manet in lecto sedens, leviter tantum sustentata: brachium dextrum volumine fere æquale est alteri.

10ma Martii a custodibus adjuta incipit parum incedere & quotidie bis per fsequi horam vel bihorium in sedili sedere: ingens est appetitus, alvus naturalis semel bisve quotidie sponte secedit: vires de die in diem augentur: perfecte mentis compos est: & loquela sensim melior fit.

20ma Martii vespere in sedili sedens brachium & crus affecti lateris valde concutiuntur, quasi valido ictu electrico tacta, id, brevi interposito intervallo ter repetitur & crus retrorsum, brachium antrorsum sursum subito cum dolore ducitur. Nox sequitur bona.

24ta Martii: rogat, ut mutetur medicamentum. Quare eidem, loco liquor. C.C.
suc-

FLORES ARNICÆ ANTIPARAL. 77

fuccinat. Adduntur Tinctur. Castor guttæ aliquot.

27ma Martii: ægra manu parum sustentans sola incipit incedere, libera stat: brachio dextro & sedes & menfas amovet, attrahit: alvus tardior est, dura.

28va datur ipsi lene purgans, quod duodecies operatur: & ægra a tot evacuationibus non debilitatur, alacris manet. Redditur illi idem medicamentum omissa tinct. castorei & addita denuo liquor. C. C. fuccinat. dr. i.

3tia Aprilis mane in lecto adhuc jacens eodem modo iterum afficitur ac 20ma Martii: post prandium incipit febricitare, & fera vespera accedit delirium. Datur ipsi purgans antiphlogisticum. Quod octies alvum subducit.

4ta Aprilis: continuat febricitare: pulsus est subdurus, parvus: datur ipsi serum lact. Tamarindinum cum nitro, ut
illius

78 CAP. II. FLOR. ARNIC. ANTIPARAL.

illius vasculum omni bihorio sumat: nox sequitur optima: 5ta Aprilis apyretos, mentisque perfecte compos invenitur, & & quoad omnia multo melius habens, quam ante febris insultum.

Pergit adhuc per biduum fero lactis uti, dein ab omni medicamento abstinet.

20ma Aprilis optime valet: vires recuperavit: artubus æque libere utitur, ac ante morbum: & nisi præcipitanter loqui velit, raro remoram in discurrendo patitur, dumque verbum aliquod deficit, sat cito, si impatiens non fiat, illud invenit. Suasi ut infuso florum Arnicae adhuc continuat uti.





CAPUT III.
 FLORES ARNICÆ
 CONTRA
 AMAUROSIN.

CASUS PRIMUS.

Virgo 30. annorum usque ad 22dum
 ætatis annum sat sana vixit : men-
 strua prima 17. annos nata acquisivit,
 quæ regularia fluxerunt.

22do ætatis anno nullo in functionibus
 apparente vitio , oculus dexter visu fere
 subito privatus est, gutta serena occupatus.

28. annos natæ in oculo sinistro acies
 visus ita minuta est, ut tantum objecta
 majo-

majora distinguere postea potuerit: vixit tamen quoad reliqua sana, donec initio Septembris anni elapsi febris acuta continua correpta fuerit, quam feliciter ex antilavit, remanente urinæ incontinentia.

Multa domi tentata fuerunt absque effectu remedia: quare 28va Aprilis 1767. ad nos adducta est.

Usque ad tertiam Junii varia in & externe applicata medicamenta nihil mutarunt: quapropter ad Infus. N. 1. confugimus, sub cuius usu per octiduum continuato nihil in melius mutatum est.

Undecima Junii Infus. N. 2. uti incepit: sequenti die dolores pungentes, urentes, per intervalla redeuntes, subinde horam durantes & lachrymas exprimentes utrumque oculum invaserunt: urinæ incontinentia sensim minuta est, ac 28va Junii hæc excretio naturali modo cœpit fieri, naturalisque postea mansit: pupilla oculi dex-
tri

FLOR. ARNIC. CONT. AMAUROSIN. 81

tri antea immobilis, cœpit admota candela accensa contrahi, & denuo dilatari: visus in oculo sinistro sensim acuari.

Decima octava Julii oculo dextro, pupilla jam naturalem diametrum habente, objecta propinqua majora distinguit: oculo sinistro facile & cito filum in acum ducit.

Sub usu medicamenti manentibus omnibus functionibus regularibus ita mutatur oculus dexter, ut illo æque ac sinistro sub finem Augusti utatur, sexta Septembris perfecte curata Nosocomio valedicit.

Præter dictum medicamentum tempore curæ quater purgans sumpsit.

CASUS SECUNDUS.

Juvenis 19. annos natus, feбри acuta continua 7ma Octobris 1770. corripitur: præmissis evacuans, utitur medicamentis refrigerantibus, aperitivis, anti-phlogisticis &c. & videtur morbus lente,

F sed

sed absque periculo decurrere. 18^{va} morbi die magno frigore cum tremore affectus est, quod ultra horam duravit, & locum fecit magno caloris augmento. 19. sat pacate habuit.

20^{ma} idem paroxysmus rediit, & ægrum multum debilitavit. Dantur ipsi adhuc ea die Pulv. Cort. Peruv. dr. II. 21^{ma} unc. β. sicque continuat donec unc. II. absumpserit. Tertius Paroxysmus valde lenis fuit, & postea nullus amplius accessit, visusque est juvenis ab omni morbo liber. Nisi quod in utroque oculo visus aciem, jam a primo tertianæ insultu quem capitis dolor comitabatur, valde obtusam, debilitatam esse conquereretur.

Tertia Novembris mane ait se oculis prorsus nihil distinguere: utraque pupilla valde dilatata, amaurotica invenitur: datur illi purgans, quod multum operatur,
&

FLOR. ARNIC. CONT. AMAUROSIN. 83

& Nuchæ latum vesicans applicatur: 4ta Novembris repetitur idem purgans, quod iterum multoties alvum movet: verum inde nihil mutantur oculi.

5ta Novembris incipit Infus. N. 2. sumere. 9na datur medicament. N. 4. Sub cuius usu dolores in fundo orbitæ oriuntur, & acutissime lancinando ad corneam cito propagantur, brevi cessantes, & frequenter repetentes.

14ta utraque pupilla mobilitatem aliquam jam acquisivit: ait visum minus obscurum esse: objecta tamen tantum confuse videt.

15ta & 16ta utitur infuso - decocto purgante, antiphlogistico. 17ma redditur Infus. N. 4. cui, loco alterius syrupi, additur syrupus Papav. albi.

Lancinationes a fundo orbitæ ad corneam usque continuant, ut ante: sed sunt minus dolorificæ: pupillæ sensim magis con-

stringuntur: æger objecta incipit distinguere.

20ma Decembris vespere, frigore & tremore per quadrantem horæ afficitur: subsequitur calor lenis, sub matutinum tempus incipit toto corpore leniter sudare,

21ma Pupillarum dilatatio multo minor est: omnia etiam parva objecta facile distinguit: vix amplius dolent oculi: continuat leniter sudare æger: eruperunt hinc inde per totum corpus petechiæ punctulares, fuscæ: pulsus est febrilis, mollis, debilis: respiratio anxia. continuat priori medicamento uti æger, omisso syrupo Papaveris albi: & præter hoc datur ipsi quotidie Spir. vitrioli dr. ʒ. in lib. I. Decoct. emoll.

24ta cessat sudare æger: petechiæ colorem flavum indutæ incipiunt disparere: intumescunt crura: pulsus & respiratio sunt

sunt naturales: reliquæ functiones sunt sat bonæ: nihil in medendi methodo mutatur.

28va de petechiis nihil superest: oculi continuo meliores fiunt: crura autem ad genua usque tumore œdematoso valde distenta sunt: loco Decocti cum Spirit. vitrioli dantur ipsi Oxymell. Colchici unc. ʒi. per diem & usus Infus. N. 4. continuatur.

His diuresis ita aucta est, ut 4ta Decembris crura penitus collapsa sint: alvus autem stricta evasit: quare sequenti die datum est ægro lene purgans. Dein solo Infus. N. 4. usus est usque ad 12mam Decembris, & brevi post optime valens, optimoque visu gaudens ad suos rediit.

C A S U S T E R T I U S.

Puella 23. annorum post exantlatam febrem petechialem Epidemicam pergit delirare: 27ma ab initio morbi die ultima Novembris 1771. utroque oculo

F 3

cæca

coeca invenitur : valde dilatatae Pupillae immobiles sunt : gutta serena utrumque oculum invasit.

7ma Decembris cum vesicantia Nuchae & capitis vertici applicata nullam mutationem attulerint, & valida evacuantia corpori jam a magno morbo viribus exhausto ingeri non possint, datur aegrae medicam. N. 5.

Sub hujus medicamenti usu subin leniter sudat aegra, & undecima Decembris cessat delirare: pupillae sensim contrahuntur: diem a nocte distinguit: objecta autem ipsi oblata minime distinguere potest.

16ta Decembris oculi sunt naturales; visus optimus: aegra bene habet; continuat adhuc per octiduum eadem medicamenti dosi uti, & initio Januarii Nosocomio valedicit.

CASUS QUARTUS.

Chirurgus 26. annos natus ægris No-
focomii ferviens 14ta Januarii 1772.
mane febris continua epidemica corripitur:
7ma morbi die incipit delirare: decurrit
morbus cum symptomatibus in hac Epide-
mia ordinariis: maculæ tamen rubræ in cu-
te profunde hærentes aliquoties apparent,
disparent, nunquam perfecte erumpunt.
17ma morbi die diarrhæa corripitur, qua
levari videtur: febris enim multum minui-
tur: minus delirat: melius dormit, &
respiratio fere naturalis est, ac lingua hu-
mectatur.

Continuat moderata diarrhæa usque ad
19nam morbi diem, qua sponte cessat:
utitur æger a decima morbi die cortice Pe-
ruviano & decoctis emollientibus acidula-
tis: symptomata ita mitigata sunt, ut per-
fectior crisis proximis diebus criticis spe-
retur futura.

20ma quinquies alvum pultaceam deposuit: febris cessavit, & mentis magis compos visus est æger.

21ma abdomen tumidulum est, tensum: audiuntur Borborygmi: quare Enema ipsi injicitur, quod aliquoties alvum movet, & abstinet a medicamentis.

22da morbi die subito cæcus fit: gutta erena uterque oculus afficitur: oculorum bulbi citissime & continuo in omnem partem moventur: tremunt palpebræ: tremunt omnes artus: continuo balbutit æger, & nullum verbum intelligibile loquitur: ingens est totius corporis agitatio! pulsus est debilis, parvus, mollis, inæqualis, minime febrilis: respiratio inæqualis: lingua humida: cutis mollis: alvum & urinam inscius in lectum dimittit.

Applicatur latum Nuchæ vesicans & bina alia femoribus. Præscribitur ipsi medicament. N. 6. cujus vasculum omni sesqui hora

FLOR. ARNIC. CONT. AMAUROSIN. 89

hora magna cum difficultate ipsi ingeritur,
& omni quarta hora datur Enema.

23tia morbi die five 5ta Februarii mane licet vesicantia optime operata sint, & multum purgatus fuerit a repetitis Enematibus, nulla in melius mutatio advertitur: æger valde debilis est: omittuntur Enemata, & continuatur eadem medicamenti dosis.

Post prandium bis monitus urinam in excipulum misit, rubram, saturatam, quæ brevi copiosum Enæorema deposuit corpusculis tenuem auri rasuram referentibus refertum, & brevi talia corpuscula urinæ superficiem denso agmine occuparunt, multis pariter per urinam innatantibus: nocturnus agitated fuit, & aliquoties brevibus intervallis dormivit.

6ta Februarii crurum agitatio cessavit: minus tremunt brachia, & manus: pal-

F 5 pebra-

pebrarum tremor minutus sæpe parum intermittit. Bulborum oculorum musculus minus convelluntur: pupillæ æque dilatatae ac ante, & propinque admota candela accensa, aliqualis illarum contractio advertitur: sui magis est compos æger: sat distincte loquitur: medicamentum libenter sumit: nihil amplius in lectum dimittit: urina multa frequenter excernitur biliosa, saturata, quæ cito sedimentum cinerei coloris mediam vasis partem occupans deponit: subinde leniter sudat: nox sequitur sat bona, magna parte in somno transacta.

Septima Februarii continuat magna Urinæ sedimentum, ut hesternæ deponentis, excretio fieri: lumen videt æger: pupillæ sunt mobiles, minus dilatatae: bulbus manet firmus, nisi dum se ad objecta distinguenda cogere vult: cessavit ubique tremor, & rediit appetitus.

Per

Per octo dies continuavit magna urinæ, semper copiosum sedimen cito deponentis evacuatio fieri, dein naturalis evasit: in oculis tanta sub hac excretionem mutatio facta est, ut 13tia Februarii nihil morboſi in illis conſpiciatur, & æger jam legere poſſit: quare loco medicamenti N. 6. datum eſt illi Infuſ. N. 3. quo uſus eſt uſque ad 16. & dein ab omni medicamento abſtinuit, & cito vires recuperavit.

CASUS QUINTUS.

Studioſus 19. annos natus 5ta Januarii 1772. febrî petechiali epidemica correptus, poſt 21mam morbi diem incepit reconvaſcere. Paucis vero poſtea diebus elapſis mane a ſomno evigilans viſu ſe privatam experitur: ultra quinque ſeptimanas omnia in arte nota remedia in
&

& externa expertissimus Lalangue meis ægris in nosocomii Hispanici cubiculis militaribus ob spatii in nosocomio Pazmaniano defectum decumbentibus magna cum laude medicinam faciens ægro ibidem decumbenti absque effectu applicuerat: circa medium Martii illum suscepi curandum.

Valde dilatatæ erant pupillæ, neque admota candela accensa minime movebantur: cœterum sat robustus erat æger & omnes functiones erant naturales.

Licet ab expertissimo viro artubus, nuchæ, capitis vertici raso repetitis vicibus applicata vesicantia æque parum ac reliqua medicamenta profuissent, denuo bina applicari iussi, unum nuchæ, alterum capiti Raso, & simul purgans Hydragogum ægro exhibui: ac sequenti die medicament. N. 6. incepit sumere, ut sic omni modo concuteretur corpus & materies nervos opticos forte premens loco moveretur.

Ri-

Triduo sub usu medicamenti elapso incepit in utroque oculo dolores lancinantes, perforantes, sæpe repetentes pati & post octiduum pupillæ mobiles factæ sunt: lucem cœpit a tenebris distinguere: & dolores oculorum multo leniores & minus frequentes evaserunt.

Perrexit eadem medicamenti dosi interpolato omni sexta vel octava die purgante absque incommodo uti: pupillarum dilatio paulatim minor facta est, & visus sensim melior evasit.

8va Maji pupillæ naturalem diametrum habere videbantur, & omnia sat bene distinguebat: suasi tamen illi, ut pro majori securitate in Nosocomio continuaret adhuc per 15. dies medicamento uti: verum studiorum amantissimus Juvenis & de facta jam temporis jactura valde dolens 9na Maji discessit.

Bre.

Brevi denuo incepit studiis operam navare, quæ adhucdum profequitur visu bono gaudens.

CASUS SEXTUS.

Juvenis 20. annos natus feбри petechiali epidemica circa medium Decembris anni 1772. correptus est: post decimum quartum morbi diem visus est morbus sublatus: paucis autem post diebus recidivus factus valde periculose decubuit: evasit tamen & post vigesimam morbi diem incepit reconvallescere manente visu valde hebetate: quod symptoma residuæ a morbo debilitati & spirituum penuriæ tribuebatur.

Tertia Februarii cum jam a quinque diebus carnibus tenerioribus & aliis facilis digestionis cibis cum Euphoria vesceretur, incepit denuo parum febricitare, & minus appetere: datur ipsi lene purgans, & dein diluen-

FLOR. ARNIC. CONT. AMAUROSIN. 95

diluentibus, acescentibus, leniter solventibus medicamentis utitur.

Sexta Februarii prægressis doloribus transversim per frontem lancinantibus, amaurosi uterque oculus afficitur; perfecte cæcus fit æger: variis absque effectu per septem dies utitur medicamentis.

Decima tertia Februarii incipit medicament. N. 6. uti. Sequenti die jam incipit dolores subito lancinantes a fundo orbitæ versus anteriorem oculi partem per intervalla pati.

Decima octava in pupilla aliquis, sed levis motus observatur: dum homines coram illo stant, aliquid oculis observat: sed non potest distinguere, quid sit: valde magnus est appetitus: conceduntur ipsi præter alios cibos, facilis digestionis carnes: dantur ipsi medicament. N. 5. & N. 8.

Usque

Usque ad vigesimam quartam Februarii horum usu continuato disparuit ex utroque oculo amaurosis: visus ita restitutus est: ut jam characteres typographicos paulo majores possit legere: cessarunt jam a triduo in oculis dolores: omnes functiones bonæ sunt.

Missum fit medic. N. 8. pergit adhuc per triduum infuso N. 5. uti: dein ab omni medicamento abstinet, & nona Martii sanus dimittitur.

CASUS SEPTIMUS.

Puella 17. annos nata morbo petechiali epidemico anno 1772. periculossime decubuit: superato morbo reviviscentibus omnibus functionibus per aliquot dies mansit subdelira.

12ma Julii, circiter 24ta morbi die, uterque oculus amaurosi corripitur ut nec
lucem

lucem a tenebris distinguat, & puella mentis compos evadit.

Applicatur Nuchæ latum vesicans & bina alia femoribus: dantur medicamenta solventia, leniter evacuantia, quibus nihil omnino mutantur oculi.

14ta Julii datur medicam. N. 6. quo per 4. dies utitur absque effectu.

18va incipit medicament. N. 8. sumere: 19na dolores oriuntur a fundo utriusque orbitæ versus anteriora oculorum lancinantes: 20ma pupillæ incipiunt fieri mobiles: lucem percipit ægra.

Res sub usu hujus medicamenti continuo in melius vergit: pupillæ paulatim magis contrahuntur: 25ta Julii objecta confuse incipit videre: valde appetit, & reliquæ functiones sunt bonæ.

6ta Augusti characteres mediocres legere potest: cessarunt dolores sæpius Nyct-
emerii spacio oculos invadentes: utitur Ar-

nica usque ad 16tam Augusti, qua perfecte curata ab illo abstinet.

CASUS OCTAVUS.

Puella robusta, torosa, sanguinei temperamenti, 22. annos nata, vix unquam ægrota, initio Septembris 1772. feбри corripitur, quæ post triginta horas Erysipelate crus dextrum late occupante definit.

Erysipelas mala methodo tractatum in inflammationem mutatum est, & demum in gangrænam crus late occupantem sub finem Septembris abit.

Gangræna separata Ulcus magnum relinquit, quo nondum perfecte Cicatrice obducto non obstante corticis peruviani & aliorum antisepti corum diu continuato in- & externo usu in febrim putridam petechialem 18va Januarii 1773. incidit, ex qua

FLOR. ARNIC. CONT. AMAUROSIN. 99

qua post decimam septimam morbi diem
visa est reconualescere ægra.

Octava Februarii prægressa levi Verti-
gine utrumque oculum amaurosis invadit:
nihil omnino videt ægra.

Decima sexta Februarii illam curandam
suscepi, & præmissis purgante dedi illi me-
dicament. N. 6. noctu dolores per inter-
valla utrumque pervadunt oculum: maxi-
mi autem in superiori oculorum parte &
in fundo utriusque orbitæ, unde subito
lancinando ad aures pergunt, ibi desæ-
viunt, irregularibus intervallis redituri:
quare ægra vix tota nocte dormit.

Hi dolores æque magni omni nocte
ægram afficiunt usque ad 21mam Februa-
rii: diei autem tempore omnis doloris ex-
pers est ægra: sed ex utroque oculo la-
chrymæ sæpe effluunt.

Vigesima prima pupillæ contrahi inci-
piunt: oculo dextro propinqua objecta

majora distinguit : sinistro nihil videt : vires crescunt : quoad reliqua bene habet : intumescunt dorsum & digiti, maxime autem planta pedis dextri tumore elastico, pallente. Posthac dolores noctu sunt minus frequentes & remissiores.

Vigesima tertia incipit etiam oculo sinistro parum videre. Sumit purgans mane & post prandium pergit uti priori medicamento.

Vigesima quinta pupillæ naturalem diametrum & mobilitatem habent : oculo dextro perfecte videt : visus in sinistro adhuc debilis, & ex hoc continuant sæpe lachrymæ exprimi. Datur iterum ægræ purgans, post quod pergit eandem ac ante medicamenti dosin sumere.

Quarta Martii pes detumescit : utroque oculo optime videt, ut & clauso dextro filum in acum ducere possit : vires optimæ : tantum bis vel ter nocturno tempore dolores

lores subito a fundo orbitæ unius vel alterius ad aurem lancinantes, multo leniores, quam ante, patitur.

12ma Martii dolores capitis cessarunt: tumor pedis sensim magis dissipatur, & quo ad omnia bene habet.

16ta Martii pes denuo magis intumescere incepit: initio Aprilis apertus multam faniem fudit, dein pus: & 18va Aprilis ulcus cicatrice obductum est: eruperunt autem innumeræ rubræ pustulæ a malleolis usque ad superiorem suræ partem crus occupantes, quæ brevi disparuere, & puellam sanam reliquerunt.

C A S U S N O N U S.

Puella 23. annos nata, biliosi temperamentum, post perpeffas in infantia variolas & morbillos totius corporis convulsionibus, vix non omni die repetentibus ultra medium annum affecta fuit. His ces-

fantibus sæpe validi capitis dolores illam
invaferunt per plures dies durantes.

15to ætatis anno prima ipsi erupere
menstrua, quæ per quinque vel sex dies
fluebant, & tantum omni tertio mense
redibant. Solita erat quotannis bis venæ
sectionem ob capitis dolores instituire,
qua neglecta, larga narium Hæmorrhagia
oriebatur.

16to ætatis anno Erysipelati faciem oc-
cupanti circiter omni tertia septimana erum-
penti, quod farina secalis frigide applica-
ta, vel pannis fumo aromatico imbutis
semper conata est retropellere, obnoxia
evasit: sicque per sex integros annos con-
tinuavit affici.

17mo ætatis anno post validum corpo-
ris exercitium tempestate calida, mensuris
Fluentibus, valde sitibunda frigidam affatim
hausit: sistebatur subito menstrua evacuatio
& paulo post scabie affecta est: ad quam
curan-

curandam draſtico purgante ſumpto, ſu-
perpurgatio orta eſt, quæ per plures dies
duravit: ceſſante demum alvi fluxu aquæ
in abdomine collectæ, illud in magnam mo-
lem diſtenderunt, & totum corpus occu-
pavit anafarca.

Ab utroque Hydrope ſumptis per quin-
que ſeptimanarum ſpatium quotidie oxy-
mellis colchici unc. ii. liberata fuit: &
aliis poſt curam Hydropis indicatis medi-
camentis per octo ſeptimanas uſa robuſta
& ſana evaſit: & menſtrua ſolito modo ite-
rum continuarunt fluere.

Anno 1770. feбри petechiali Epidemica
decubuit, unde ſana evaſit. Continuavit
tamen Eryſipelate frequenter affici uſque
ad initium anni 1772. dein ab omni erup-
tione libera vixit.

Poſthac capitis dolores & frequentiores
& vehementiores fuere: ſub finem Decem-
bris hi dolores tempora, frontem, & ſu-

periolem occipitis partem occupantes continui evasere: visus incepit obscurari: oculi doloribus lancinantibus, lachrymas copiose exprimentibus inceperunt affici: his se adjunxit valde anxia respiratio & sæpe repetentes cordis palpitationes: pectore sublevato omnia mala in capite acerbiora erant: hoc melius habente anxietas & cordis palpitationes augebantur. Demum initio Januarii 1773. omnibus malis continuantibus visus in utroque oculo ita obscuratus est, ut tantum obscure lucem a tenebris, objecta autem sibi opposita nullo modo distinguere potuerit.

Cum his malis domi luctata est, usque ad 18vam Februarii anni 1773. qua ad nostrum Nosocomium delata, usa est emollientibus, aperitivis, antiphlogisticis, sub quorum usu statim secunda die incepit oēties & ultra nyctemeri spatio purgari, leniter sudare: verum inde nullum levamen

men habuit, immo 24^{ta} Februarii dolore punctorio lateris sinistri correpta est, cum pulsu febrili, contracto, valde duro: respiratione laboriosa, frequenti, sublimi & solito majori cordis palpitatione. Ter tribus primis diebus repetita venæ sectione, qua sanguis phlogisticus semper eductus est, & medicamentorum emollientium, antiphlogisticorum usu, ac alvo laxa continuante quotidie aliquoties secedere, 28^{va} Februarii cessavit dolor punctorius: cordis palpitatio rarior & respiratio facilior evasit, & pulsus liber, mollis, collapsus, vix amplius febrilis: manserunt autem priores capitis dolores & visus obscuratio.

Secunda Martii ægra æque parum videbat ac ante: dolebant oculi admota subito candela accensa, & subinde parum videbantur constringi pupillæ: statimque iterum dilatari: subinde luce admota nullo modo mutabantur. Reliqua ut ante.

Præ-

Præter serum lactis nitratum datum est ægræ medicam. N. 6. post cujus primas doses assumptas omnes oculorum Canthi maxime autem externi dolore urente, tenfivo affecti sunt: pergit quotidie quater, quinquies purgari.

Sexta Martii pupillæ minus dilatatae, magis mobiles sunt: objecta incipit distinguere: dolores oculorum angulos occupantes cessarunt: libera quoque sunt a dolore tempus sinistrum & frons: functiones vitales sunt naturales: minus liquida alvi dejectio: somnus melior fit, & vires eriguntur. Pergit eadem ac ante medicamenti dosi uti, & loco feri lactis datur illi Decoct. saleb. cum nitro ob tussiculam, qua subinde afficitur.

12ma Martii uterque oculus naturalis est. Facile characteres etiam mediocres legit: dolores capitis fere integre disparue-

FLOR. ARNIC. CONT. AMAUROSIN. 107

ruerunt: alvus est naturalis: tussis nulla:
omnes functiones bonæ.

21ma Martii perfecte ab utriusque ocu-
li amaurosi curata, & quoad reliqua op-
time valens dimissa est.



CAPUT IV.

FLORES ARNICÆ.

ANTISPASMODICI.

CASUS PRIMUS.

Viginti annorum Puella, alias sana,
menstrua evacuatione a quatuor
annis regulari gaudens, tertia Junii anni
1764. magno terrore perculsa, subito u-
trius-

triusque brachii usu privata est ita quidem, ut dum manum movere, vel brachium levare conabatur, voluntatis imperium validus brachii & manus tremor sequeretur, per plura minuta durans.

Variis domi per quindecim dies absque effectu usa Medicamentis, ad nostrum Nofocomium defertur: ubi usque ad finem Junii frustra optima medicamenta in- & externa applicata fuerunt.

Prima Julii datum est ipsi infusum N. 2. ut bidui spatio illud absumeret.

Quarta Julii aliquoties quasi vi Electrica tactum concutitur cum dolore utrumque brachium, & sæpe videntur ægræ numerosæ formicæ ab humero ad extremitates usque digitorum decurrere.

Decima Julii brachium dextrum & manum dextram elevare, retrorsum ducere valet, & vix tremor adest: duodecima so-

la comedit, & libero hujus brachii & manus usu gaudet.

Brachium finistrum, licet ad voluntatis nifus minus tremens, sursum elevare nequit, licet lateraliter & postrosum sat facile moveatur: subitos adhuc subinde concussus in hoc patitur, qui in dextro penitus cessarunt.

Pergit Puella eadem medicamenti dosi uti: sub finem Julii menstrua, quæ post terrorem semel emanferant, debite fluxerunt: brachium finistrum sensim magis movere absque tremore potest, & in illo dolores lancinantes sæpe repetentes conqueritur. Coeterum omnes functiones bonæ.

12ma Augusti, cessarunt in brachio & manu dolores, & puella brachio libere uti posset, ni fixus in humero dolor prohiberet.

1ma Septembris idem dolor continuat: hinc præter dictam florum Arnicæ dosin, puellæ quotidie datur Extracti aconiti gr. i.

His per tres septimanas continuatis dolor disparuit: liberrimo brachii usu gavisâ est Puella & prima Octobris sanissima ex Nosocomio discessit.

CASUS SECUNDUS.

Deurator 34. annos natus alias femper sanus 10ma Novembris anni 1766. ad nos delatus est.

Ante biennium inceptus artuum & linguæ tremor ita increverat, ut jam a sex septimanis neque amplius solus comedere, neque cruribus insistere potens, lecto affixus maneret, vix præ linguæ tremore hinc inde aliquod verbum proferre potens: multum emaciatus erat: functiones tamen naturales & vitales videbantur illæsæ.

Præ-

FLOR. ARNIC. ANTISPASMODICI, III

Præmissio purgante datum est ipsi Infus. N. 1. quo per octo dies continuato, multo facilius & clarius loqui, & artubus minus tremere incepit.

Initio Decembris loquela liberrima facta erat: omnis tremor disparuerat: & carnes corpori incipiebant renasci.

Perrexit dicta medicamenti dosi uti usque ad 20am Decembris & 12ma Januarii sanissimus discessit.

CASUS TERTIUS.

Murarius, cujus historia observat. part. 3. Cas. 1. jam relata est, & qui a semi anno Opisthotono affectus 9na Junii anni 1770. ad nostrum Nosocomium delatus fuerat, Camphora per 12. dies assumpta dolorum levamen habet: Opisthotonus autem immutatus persistat.

22da Junii datur ipsi Infus. N. 2.

24ta in Epigastrio & utroque Hypochondrio & circa umbilicum dolores per duo triave horæ minuta durantes, urentes, pungentes, subin cita lancinatione ab uno hypochondrio ad aliud decurrentes, accedente subinde Epigastrii, & umbilici introtractione incipit pati: circa meridiem sensum magna vi injecti liquidi citissime a vertebra colli secundum spinam dorsi ad os sacrum usque cum sat magno totius corporis concussu decurrentis subito percipit, post quem collum, licet cum aliqua difficultate in omnem partem vertit, & corporis truncum paulisper movet: urina rubra est, & quantitate liquida assumpta multum superat: alvus aquosa quater, quinquies in die dejicitur. Datur vespere paregoricum, quod noctem tranquillam reddit.

25ta eundem ac heri concussum semel passus est: minores sunt dolores: rarius
retro-

FLOR. ARNIC. ANTISPASMODICI. 113

retrotrahuntur Epigastrium & umbilicus.
Vespere datur iterum paregoricum.

26ta truncum corporis in anteriora vi
aliqua adhibita curvat. Eodem modo cir-
cā romam matutinam concutitur corpus
ac diebus præcedentibus: urina copiosa
excernitur: alvi dejectiones cum tenesmo
sexies, septies in die habet: incipiunt ex-
terne tumere hæmorrhoides: respiratio est
bona, pulsus liber, mollis, dilatatus, in-
æqualis, leniter febrilis.

28va Junii dolores colicos patitur: al-
vus est torminosa, æque frequens ac ante,
pultacea mucō mixta: hæmorrhoides ma-
gis tument, dolent: urina colore sæpe
varians pergit frequenter & copiose excer-
ni: Pulsus est sat plenus, fortis, magis fe-
brilis: applicantur hæmorrhoidibus sangui-
sugæ, quæ multum sanguinis educunt:
præter Infus. N. 2. datur Decoct. Rad,
Salab. cum Diacodio.

H

29na

29na dolores omnes cessarunt: pulsus est collapsus, minus febrilis: alvus minus frequens.

3oma baculo adjutus per cubiculum lente aliquoties deambulat: corpus majori cum facilitate & erectum tenet, & antrorsum curvat. Datur Infus. N. 3. & continuatur usus Decocti Salab.

Per triduum sensus formicarum secundum totam dorsi spinam, ab hac per utrumque hypochondrium secundum costas spurias versus epigastrium decurrentium per unum duove horæ minuta durans, sæpe repetens auctam medicamenti dosin sequitur. Opisthotoni reliquæ penitus auferuntur, & æger libere absque baculo incedit: verum incipit iterum alvus liquida, torminosa, frequentior fieri: tussitat æger & pectoris dolores sub tussi conqueritur.

Absti.

FLOR. ARNIC. ANTISPASMODICI. 115

Abstinet a floribus Arnicae & utitur medicamentis demulcentibus, refrigerantibus, quibus brevi omnes turbæ sedantur, & æger perfecte curatus, sub finem Julii ad labores redit.

CASUS QUARTUS.

Juvenis 20. annos natus roma Januarii feбри putrida petechiali corripitur per 24. dies decumbit & incipit reconvalescere: sexta Februarii incipiunt alternatim sponte convelli muscoli colli, & caput successive in omnem partem alternatim trahunt: ut neque decumbens quietem habeat. Lene purgans datur: applicantur externe varia, fomenta sicca, humida: unguenta, linimenta, unde nulla mutatio: somnus est rarus, brevis, & sub illo etiam subinde unus vel alter colli musculus convellitur.

Nona Februarii datur Infus. N. 5. undecima convulsiones notabiliter intermittunt, leviores sunt: sensim ita continuant minui, ut 19na Februarii nihil de illis supersit: caput est firmum, & vires cito renascuntur.

Utitur eadem medicamenti dosi usque ad 27. Februarii & circa medium Maji priores labores denuo aggreditur.

C A S U S Q U I N T U S.

Juvenis 26. annorum a pueritia fat sanus, chartis pappæ conglutinandis occupatus vixit. Anno 1771. habitationem incoluit, recens extractam, unde incepit debilitari, tussire, subinde manibus tremere: ut his malis obviam iret, venæ sectionem adhibuit, & omni mane vini spiritus fat magnam dosin sumpsit.

Mense Octobri, frater ipsius, qui dirimendo uni laboratorio chimico operam
nava-

FLOR. ARNIC. ANTISPASMODICI. 117

navaverat, terreum pulverem, cui Mercurius crudus immixtus erat, domum tulit & excussit in mensam, in qua jacebat panis in frustra dissectus pro cœna, ut Mercurium a terra separaret.

Posthac incepit capite dolere, manibus valde tremere, & consueto labori inepetus redditus est. Circa medium Novembris inceperunt quoque ita tremere artus inferiores, ut illis amplius insistere nequens lecto domi affixus manserit usque ad secundam Januarii anni 1772. qua ad nos delatus est.

Dolore frontis acuto fere continuo vexabatur: erat valde emaciatus, debilis: noctu sæpe sudabat: alvus naturalis; appetitus nullus: somnus paucus: animus valde dejectus, tristis. Dantur ipsi Decocta humectantia, demulcentia, & medicamentum N. 7.

His utitur sensim melius habens, usque ad 15tam Martii, qua perfecte curatus & robustus a medicamentis abstinuit, & brevi post ad priores labores rediit.

Frater ipsius natu minor paulo post illum ad nos eodem modo affectus, delatus, eadem methodo curatus est.

CASUS SEXTUS.

Puella 14. annos nata, procera, sanguinei temperamenti, a pueritia circa collum erumpenti, & linteis fumo olivani imprægnatis calide applicatis post quatuor aut quinque dies disparenti Erysipelati frequenter obnoxia, quinta Aprilis anni 1772. illo iterum affecta est, & more solito tractatum cito integre disparuit: puella spasmo Cynico correpta est, quo non obstante domesticos labores jusculis inter dentes immixtis se sustentans peregit, donec 15ta Aprilis frigida tempestate

FLOR. ARNIC. ANTISPASMODICI. 119

te pavimenta domus lavans spasmo cynico junctus fuerit Opisthotonus : domi jacenti varia absque effectu usque ad 20mam Aprilis, qua ad nos delata est, applicata fuerunt.

Dorsi spina valde incurvata, caput retrotractum, immobile : omnia membra extensa instar ligni rigent. Musculi abdominis & totius trunci rigidissimi : in somno maxillæ parum diducuntur, & inter illas apex linguæ extruditur, quam evigilans difficulter in Os reducit, & morsum jam aliquoties læsit. Vi adhibita maxillæ parum a se diduci possunt, ut rima habeatur ad liquida in Os infundenda, quæ cum difficultate deglutit ; alvus est tarda : urina sæpe effluit : difficile spirat : pulsus vix febrilis, inæqualis, irregularis, sat plenus absque duritie : vena educitur sanguis bonæ notæ : enema emolliens adhuc prima die bis injicitur, quod nihil fere edu-

cit: applicantur quinque vesicantia & præscribitur medicam. N. 6.

Quatuor primis diebus, quibus hoc medicamento usa est, nulla in melius mutatio observata fuit: quinta vero die nulla externa vi adhibita, maxillas satis diducere potuit, ut medicamentum & cibos commodius sumeret, & facile deglutiret: stertor tamen sat magnus per aliquot minuta durans assumpta sequitur.

26ta Aprilis caput minus retrotractum jam parum ad latera movet: minus inflexa est dorfi spina: artus minus rigidi: alvi & urinæ excretiones naturales: sudor frequens, sat copiosus, per totum corpus æqualis: pulsus est liberior, sat æqualis: respiratio facilior: somnus autem hucusque est parvus, inquietus.

1ma Maji solutus est musculorum dorfi spasmus: spina dorfi naturalem directionem habet: Caput erectum ad latera facile

le

FLOR. ARNIC. ANTISPASMODICI. 121

le movet, cum aliqua difficultate antierius curvat: superest adhuc in maffeteribus aliqua rigiditas: omnes artus in lecto jacens fat facile movet: mufculi abdominis funt adhuc valde tenfi.

8va Maji liberi funt colli mufculi: maffeteres adhuc aliquid fpafmodici habent & rigiditas mufculorum abdominis immutata permanet: ceffavit ftertor affumptorum deglutitionem fequens.

Pergit ægra eadem medicamenti dofi uti, & toti abdomini cataplafmata emollientia diu noctuque applicantur.

Hac methodo fenfim ita ad ftatum naturalem reductum eft abdomen, ut 20ma Maji nulla amplius tenfio adfuerit, & ægra fola fe in lecto erigere, federe inceperit: os perfecte aperire nondum valebat, neque pedibus infiftere: brachiis autem jam a decem diebus libere utitur & fola comedit: noctu optime dormit.

5ta Junii pedibus sat firmiter infistit, & parum sustentata incipit deambulare: utitur eadem medicamenti dosi usque ad finem Junii, quo tempore masseteres naturalem mobilitatem acquisivere, & toti corpori motus libertas reddita est. Missum fit medicamentum, & Puella per aliquot septimanas adhuc in Nosocomio servatur, ut bona diæta vires firmentur: dein optime valens & robusta dimittitur.

CASUS SEPTIMUS.

Nobilis Puella 13. annos nata, febris inflammatoria prima Januarii anni 1773. corripitur. Octava morbi die valido terrore afficitur, unde morbo validæ convulsiones supervenerunt, quæ finito circa 20am Januarii morbo, per tres quatuorve dies filuerunt: quare creditum est ægram jam ab illis liberam fore: recruduerunt autem vehementiores quam ante, sæ-

FLOR, ARNIC, ANTISPASMODICI. 123

sæpe per horam durantes, quandoque citius cessantes, & quinquies sexiesve nyctemeri spatio ægram invadentes.

Secunda Februarii advocatus fui: narrabant parentes puellæ alvum valde tardam nonnisi purgante vel Enemate sollicitatam secedere, & ut plurimum duram, albam, muco involutam esse: ingruente paroxysmo Hypochondria elata, tensa & ita dolorifica fiebant, ut ad lenem etiam attactum ejularet ægra: elapsis uno, binis, quandoque tribus horæ minutis respiratio fiebat valde difficilis: obscurbatur visus: auxilium adstantium implorabat, dein aphona facta, per totum corpus valide convellebatur. Tempore paroxysmi nec guttulam deglutire poterat, hinc sola externa variorum applicatione conabantur ægræ levamen adferre. Ægra tamen licet validissimorum paroxysmorum tempore mentis compos semper esset, gustu & odoratu

ratu orba , neque in Os ingesta, neque naribus applicata distinguere poterat : finito paroxysmo gustus & odoratus naturales erant : facile deglutiebat : appetebat : oculi manebant hebetes : Hypochondriæ collabebantur, minus dolorifica erant.

Dedi huic Puellæ medicamenta solventia, purgantia, interpolatis antispasmodicis, paregoricis : & Hypochondriis Cataplasmata emollientia diligenter applicari jussi.

His per quatuor dies continuatis, cum nihil in melius mutaretur. Dedi illi sequens medicamentum.

℞. Florum Arnic. unc. β.

Verbasco. m. iβ.

Infunde cum aq. fervid. q. s. p. $\frac{1}{2}$ horam vase clauso. Colat. lib. I. adde.

Sur. Rub. Idæi unc. ij.

M.

S.

S. omni bihorio unc. ij. sumat, & continetur diligens cataplasmatum applicatio.

Enematibus & bis sub usu hujus medicamenti dato leni purgante alvus sollicitata est, & sensim omnia ita in melius mutata sunt, ut elapsis ab incepto hujus medicamenti usu duodecim diebus ægra & a convulsionibus & ab omni dolore liberata fuerit: & ab eo tempore sana manet, & robusta fit.

Sequuntur quædam ex tribus præcedentibus capitibus deducta.

COROLLARIA.

Flores Arnicæ potenter in corticis cerebri obstructa, infarcta, debilitata vascula, quibus tenella medullosa Stamina continentur, agunt. Materiam ibi sensim collectam vel per Metastasin illuc delatam solvunt, movent, vascula deobstruunt,

fruant, & spirituum nervosorum secretioni idonea reddunt.

Ubi colluvie Serosa, mucosa, vappida distentæ nervorum cellulosa tunicæ tubulos nerveos pressione sua spiritibus immeabiles reddunt & Paralyfin partis, ad quam illi tendunt, efficiunt, efficax remedium esse flores Arnicæ præter relatas ægrorum historias, docet Hydropis articulorum & œdematosorum tumorum externas corporis partes occupantium cura, quam solo hujus medicamenti usu peractam sæpe vidi.

Vires roborantes in corpore exerunt; corpora enim languida, cachectica, cachochymica vires, robur, colorem sanum, & animus alacritatem sub illorum usu recuperant.

Paralyfin ab impedita fluidi nervei ob cordicis cerebri a materia lenta infarcta, compressa vascula secretionem, vel impedito illius in tubulos nerveos introitu, transflu-

fluxu ortam curant, si a nervis collapsis concretis immedicabilis obstructio in illis nondum nata fuerit: videntur autem nervorum canales non semper tam cito collabi, concrefcere, ac ex illorum teneritudine & mollitie concludi potest. Floribus enim Arnicae curantur paralyfes, quae jam per longum temporis spatium durarunt.

Amaurofin a dictis causis ortam feliciter curant, memoriam firmant, perditam regenerant, deliria tollunt, partibus sensu privatis, licet causa non semper in sensorio communi, sed in decursu Nervi haerere videatur, sensibilitatem restituunt: frigiditas obstacula liberam per illas sanguinis circulationem impediencia tollendo grato calore denuo donant.

Tetanium, tremorem &c. ab acri sensorium commune vel Nervos a cerebro jam remotos vellicante & inordinatum in Ner-

VOS

vos spirituum influxum causante ortos hi-
sce floribus feliciter curavi.

Sed etiam a non fatis nota per graves
animi affectus, iram, terrorem &c. in sen-
sorium commune inducta mutatione ortam
Paralyfin, tremores, convulsiones curant
flores Arnicæ.

An inde concludi possit hoc medicamen-
tum virtute quadam specifica in sensorium
commune & Nervos agere? vel an per
hos animi affectus affluentes subito magna
vi ad cerebrum humores in vasculorum
angustias impinguntur, illa dilatant & per
errorem loci obstruunt, & spirituum secre-
tioni inepta reddunt, hisque obstructioni-
bus per Arnicæ flores sublatis mala quoque
inde orta tolluntur? id subinde obtinere,
fere certum videtur: licet longe alias quo-
que per hos animi affectus in sensorio com-
muni fieri mutationes dubitari non possit.

Usum

FLOR. ARNIC. ANTISPASMODICI. 129

Usum hujus medicamenti plerumque brevi comitantur formicatio, dolores lancinantes, urentes, & subinde concussus illis, qui a vi Electrica corpori applicata fiunt, non multum abfimiles, quos morbi in melius vel cita vel saltem sensim facta mutatio, si morbus sit medicabilis, sequitur.

Videntur signum dare secretionem spirituum in cortice cerebri denuo fieri, nervos iterum pervios evadere, & hoc solo medicamento curatum iri ægrum.

Notum tamen est, substantiam muscularem ita degenerare posse, ut licet spiritibus per nervos & sanguini per arterias libera pateat via, motibus exercendis inepta sit: hæc degeneratio præter Arnicam alia requirere medicamenta potest, ut curetur, & subinde ad statum naturalem amplius reduci nequit.

i

non

Non sunt ergo timendi concussus sub usu florum Arnicae excitati, utpote qui demum tantum corpus vel partem concutiunt, dum jam spiritibus Nervis & sanguini liberum per sua vasa iter parant. Valida sternutatoria, vomitoria, vis Electrica, quæ ad corpus concutiendum, impacta movenda adhibentur, sæpe in paralyfi &c. periculo non vocant.

Flores Arnicae in quibusdam urinam pellunt, subinde sudores movent, sæpe nulla facta sensibili evacuatione ægros curant.

Ubi dicti Nervorum & sensorii communis morbi febrim magnam cum pulsu pleno, forti, magno, vel contracto, duro, diathesin phlogisticam vel nimiam boni sanguinis copiam indicante conjunctam habent, florum Arnicae usus morbo vires adderet.

In talibus casibus medicamenta evacuantia, refrigerantia, antiphlogistica &c. adhiberi

de-

debent, donec pulsus collapsus, mollis & alia symptomata doceant, plethoram sublata & spissitudinem inflammatoriam resolutam vel saltem multum imminutam esse: tuncque, si dubium superfit, infuso Arnicæ nitrum addi debet. Si corpus nimia humorum vappidorum copia turgeat, evacuantia statui ægri appropriata usui Arnicæ, quem optime quoque præcedunt & comitantur vesicantia, præmitti debent.

Tempore curæ alvus semper servanda est libera, & juvat subinde interpolatum purgans, ut quantum fieri potest, salvis ægri viribus, derivatio a capite fiat, & moti sub usu medicamenti morbose humores, qui sanis assimilari non possunt, vel superflui sunt, evacuentur.

Cum his cautelis exhibitum hoc medicamentum mire prodest, & illum ægri bene ferunt: licet quandoque, dum primis vicibus sumunt, quamdam molestiam in

Epigastrio, subinde etiam in hypochondriis, quam varie explicant, conquerantur: & raro vomitum excitat.

Potest tamen, & hæc molestia leniri, impediri admiscendo involventia, demulcentia, paregorica, quæ repentinam medicamenti in Nervos ventriculi & vicinorum viscerum actionem in subiectis valde mobilibus impediunt.

Si illorum odor & sapor ægris displiceat, possunt addi talia, quæ utrumque minuunt vel immutent: aliorum enim medicamentorum contra Paralyfin laudatorum, licet raro talibus indiguerim, consortium non respuunt Arnicæ flores.

Potuissem plures felices Paralyseos, visus læsi & aboliti, ac morborum spasmodicorum curas referre, si omnes casus, ni quibus alia medicamenta simul adhibita fuerunt, enarrare voluissem: intentio autem-

tem est, cum illa jam nota sint, tantum quid possint Arnicæ flores, demonstrare.

De Excellenti hujus medicamento in aliis morbis virtute & efficacia, alia vice, favente Deo, dicam.



CAPUT V.
DE
MUSTI SIVE INFUSI
MALTHÆ HORDEI
U S U.

CASUS PRIMUS.

Femina 60. annos nata a 10. annis post assumptos cibos magnas anxietates per plures horas patiens & a biennio doloribus urentibus, delacerantibus,

continuis, post assumpta auctis affecta, initio Aprilis 1765. IctERICA facta est, & incepit quævis ingesta vomitu valde dolorifico rejicere. 17ma ejusdem ad nostrum Nosocomium delata est.

Erat valde emaciata, colore fusco deturpata: abdomen ubique dolorificum, tensum: Hypochondria compressa, gracilia: alvus pigerrima: pulsus debilis, lentus, tardus: vomitu sæpe fœtida rejiciebat.

Solventia medicamenta in tali casu indicata dolores vehementer augebant, & vomitum crebriorem reddebant; quare medicamentis demulcentibus, paregoricis, Emplastris, cataplasmatibus & Enematis conati fuimus dolores lenire, vomitum sedare: quibus ad quartam Junii usque nihil lucrati fuimus: immo conatus ad vomendum erant fere continui, & subinde fœtidissima evomebat.

Dedi

Dedi illi Infus. N. 9. lib. II. β. & Panatell. lib. 1. per diem quarta Junii: hac die tantum semel vomuit, dein vomitus cessavit: alvus pultacea, fusca quotidie saltem semel sponte secessit: somnus tranquillior, diuturnior evasit: dolores multum minuti sunt.

12ma Junii hoc diætæ genus recusat: ab aliis assumptis exacerbantur iterum dolores: recrudescit vomitus: 17ma Junii moritur.

In cadavere inventum est hepar complanatum, attenuatum, anteriori sua superficie coloris & firmitatis naturalis, ad cristam ossis, Ischii dextri & tertiam lumborum vertebra descendens, ventriculum tegens: vesicula bilis alba, crassa, callosa, calculum nucis juglandis magnitudinis strictissime includens, circa quam quinque parva ulcera inter parvas, albas, callosas eminentias hepar occupabant: Ventriculus

multum liquidi inodori continens, secundum os Ischii sinistrum in pelvim descenderat, toto hoc tractu coarctatus ita, ut vix diametrum $3 \frac{1}{2}$ pollicum Parisinorum haberet, in pelvi magis dilatatus sensimque iterum constrictus, tubum sursum emittebat spithamam longum, subconicum, qui in pilorum scirrhosum, cancroso ulcere interne affectum terminabatur: omnia intestina tenuia excepto duodeno & parva Jejuni parte in pelvi, coarctata erant, quibus colon transversum & omentum incumbebant: illud arcu suo superiori accretum erat piloro, duodeno, vesiculæ felleæ & hepatis, & hæc iterum inter se: ubi cum piloro concreverat colon, in cartilagine mediae nucis juglandis figura & magnitudine degeneraverat: in duodeno bilis pallidæ circiter uncia β . inventa est.

San-

Sanguis in majoribus vasis & circa cor paucus, dissolutus, niger : omnia viscera, exceptis modo dictis, naturalia erant.

CASUS SECUNDUS.

Fœmina 58. annos jam emensa a tribus annis crura ulcerata habens, 22da Aprilis ad nostrum Nosocomium defertur. Præter colorem cachecticum, totius corporis laxitatem, gingivas cæruleas, a dentibus secedentes, facile sanguinem fundentes habebat; omnes artus occupantes latæ maculæ lividæ scorbutum præ se ferebant : valde debilis erat ægra & omnes functiones languiebant,

Usque ad secundam Junii porrecta ægræ medicamenta antiscorbutica nihil effecerunt : immo accesserunt artuum dolores, quibus crura immobilia reddita sunt.

Secunda Junii missis reliquis remediis datae sunt illi Musti hordei Lib. II. per

I 5 diem

diem absumendæ & sexta ejusdem Lib. III.

Medicamentum optime fert: valde appetit: maculæ colorem sensim lætiorem induunt, minuuntur: 23tia Junii disparuerunt; Ulcera quæ Decocto cicutæ delignantur, incipiunt cicatrice obduci: omnes functiones, excepta alvi excretionem, quæ ob tarditatem subinde Enemate sollicitari debet, vigent: cutis color nitidior, fanior est.

Eandem hujus Infusi dosim usque ad finem Junii sumpsit, & post hoc medicamenti leniter roborantibus per quindecim dies usa, ulceribus cicatrice obductis sana & robusta dimissa est.

CASUS TERTIUS.

Vetulam 66. annos natam 4ta Julii curandam suscepi.

Ante tres septimanas fungos comederat, quod, utpote fere edentula, non debite masticaverat. Post

Post biduum prægressis magna anxietate & præcordiorum doloribus indigestos vomitu rejecit, & ultra vigesies valde purgata est: succedentibus ingenti oris amaro- re, nausea, ciborum horrore, siti magna, oris siccitate, alvo tardissima, somni ca- rentia, magna virium prostratione. Variis contra hæc mala incassum usa medicamen- tis 27ma Julii febris quotidiana correpta est, cujus quatuor paroxysmos passa dra- sticum purgans sumpsit, quod febrim fu- gavit, manentibus prius dictis symptoma- tibus & tensione doloribusque Epigastrii & hypochondriorum.

Enematibus & cataplasmatibus emollien- tibus, medicamentis demulcentibus, aci- dulatis per biduum adhibitis nihil lucratus, illa missa feci, & sexta Julii suasi, ut quo- tidie musti Hordei Lib. iij. divisis dosibus hauriret. Septima Julii jam multum leva- ta est: gna ejusdem oris amaror, siccitas, sitis,

fitis, tensio & dolor Epigastrii & hypochondriorum disparuere: bene dormit ægra: magnum habet appetitum: alvus naturalis sponte quotidie secedit, & quæ antea supina, immobilis coacta erat decumbere, nunc libere in omnem partem se movet, & in utrumque latus absque incommodo decumbit.

Perrexit adhuc per Octo dies eandem Infus. Dosis sumere: dein optime valens ab illo abstinuit.

CASUS QUARTUS.

Puella 22. annos nata a 9. Mensibus incarcerata statim primo mense menstruis antea regulariter fluentibus privata, prima Januarii anni 1766. alvi fluxu frequenti foetidissimo & valido sæpe repetente, foetidorum variegati coloris vomitu corripitur. Dantur ipsi quædam medicamen-

menta , a quibus nullo modo levatur :
quare nona Januarii ad nos defertur.

Dictis symptomatibus adjunxerunt se
abdominis torminosi dolores , fere conti-
tinui : horror ciborum : macies : febris :
fitis magna , ob ingestorum citam per vo-
mitum rejectionem nunquam levata , sum-
ma debilitas.

Jubetur , ut Musti Hordei Lib. iij. ipsi
divisis dosibus per diem porrigantur. No-
cte sequenti minus frequentes sunt vomit-
us & alvi dejectiones minus foetent : do-
lores sunt minores.

Undecima Januarii non amplius purga-
tur : cessavit vomitus : fitis disparuit : ap-
petitus rediit , & reliqua omnia sympto-
mata disparuere , superstite tantum debi-
litate.

Binis primis diebus præter potum nihil
nutrimenti sumpsit ; nunc autem Panatel-
lis ,

lis, hordeo & Oryza juscule carniū in-
coctis vescitur.

His & continuata ejusdem infusi dosi
vires sensim & carnes renatæ sunt. 29na
Januarii concessus est illi carniū elus:
abstinuit a medicamento & 23tia Februa-
rii sana & robusta dimissa est.

CASUS QUINTUS.

Fœmina 45. annorum 29na Julii anni
1766. ad nos defertur, a 15. die-
bus deleto appetitu, nausea, oris amaro-
re, sordida lingua, tensione dolorifica Hy-
pochondrii dextri & Epigastrii, contra
quæ jam bis Emeticum & semel purgans
incaffum adhibita fuerant, affecta. His
18va Julii accefferant frequentes horripi-
lationes, febricula: alvus erat laxa, val-
de foetens.

Sumpsit per diem infus. N. 9. lib. iij.
statim prima die levamen habuit: post tri-
duum

duum rediit appetitus: omnia symptomata disparuerunt, & 29na Augusti quoad omnia sana dimissa est.

CASUS SEXTUS.

Vetula 60. annorum 21. Julii anni 1766.

Arthritide correpta est cum ciborum horrore, nausea & ingenti oris amarore, lingua fordida. Sumpsit domi emeticum, repetita purgantia & alia medicamenta: verum immutata manserunt arthritidis & reliqua symptomata, cum quibus quinta Augusti ad nostrum Nosocomium delata est.

Gingivæ cœruleæ facile sanguinem fundebant: Color faciei flavo-viridis erat: pulsus parvus: flaccidus, vix febrilis: somnus paucus.

Medicamenta aperientia, acidulata, & magnam Decoct. hordei, Rad. Bardan. acetos. Cum Oxymelle simplici dosin pro potu ipsi exhibuimus: quibus
usque

usque ad IOMAM Augusti continuatis nec
minimum levamen percepit ægra.

Decima Augusti missis reliquis medica-
mentis, infusi. N. 9. lib. iij. divisis dosi-
bus per diem sumere cœpit: 13tia dispa-
ruerant nausea, linguæ sordities, oris ama-
ror & rediverat appetitus. Perrexit ean-
dem hujus infusi dosin quotidie usque ad
finem Augusti haurire, sub cuius usu
omnes articuli exceptis genubus, a dolo-
ribus liberati sunt: Gingivæ colorem na-
turalem acquisiverunt & firmæ redditæ sunt,
redivitque faciei nitor: ob genua tamen
adhuc parum tumentia & dolentia præter
dictam musti hordei dosin infus. N. 1.
ipsi datum est, quo per tres septimanas usa,
sana ad suos redivit.

CASUS SEPTIMUS.

Puella 25. annos nata ante sesqui ani-
num doloribus artuum urentibus,
lanci-

lancinantibus, noctu exacerbatis correpta est: post quatuor menses ab inceptis doloribus non obstante continuo a medico præscriptorum medicamentorum usu undecim tumores pastacei, partim in collo, partim supra claviculas, partim etiam in occipite orti sunt, qui post aliquot menses aperti tantum mucosum quid fuderunt: menstrua, quæ semper pauca fluxerant, penitus emanerunt: initio Julii deletus est appetitus: Nausea & oris amarore affecta est, quibus continuantibus in lingua pustulæ albæ successive erumpentes brevi in parva ulcuscula abibant, ægræ molestissima.

15ta Augusti omnibus his malis & colore valde cachectico affecta, valde emaciata & debilis ad nos defertur.

Dantur ipsi infus. N. 9. lib. iii. quotidie hauriendæ. Ulcera claviculas, col-

K

lum

lum & occiput occupantia Cicutæ saturato Decocto deligantur.

18va Augusti pustulæ linguam occupantes omnes apertæ sunt: nullæ novæ renascuntur: lingua indolens est: cessavit oris amaror: appetitus est optimus: dolores artuum multo minores.

30ma Augusti, linguæ ulcuscula consolidata sunt: colli, occipitis &c. ulcera bonum pus dant: collum antea difficulter & cum dolore mobile libere in omnem partem vertitur: artuum dolores penitus cessarunt: cutis color melior fit: vires eriguntur: alvus autem tardissima est, neque exoneratur nisi enemate, vel purgante medicamento sollicitata: Hypochondrii dextri elatio & capitis gravitas, alvi stipationem sequuntur.

Perrexit eadem musti hordei dosi usque ad finem Octobris uti, & initio Novembris torosa, robusta, optime colorata, ulce-

ulceribus omnibus cicatrice obductis discessit ex Nofocomio.

CASUS OCTAVUS.

Vidua 55. annorum 27ma Junii anni 1766. ad nos delata a tribus mensibus febris quotidiana cum vomitu frequenti, etiam finito paroxysmo ægram defatigante, affecta erat, contra quam multa medicamenta incassum absumpserat.

Erat valde emaciata: Epigastrium & Hypochondria tumida, tensa, dolentia: lingua fordida, os amarum: appetitus nullus: alvus tarda.

Cataplasmatis externe applicatis: medicamentis emollientibus, aperitivis conati fuimus illi levamen adferre: verum, cum omnia brevi post assumptionem vomitu rejiceret, nihil potuit effici: quare tertia Julii infus. N. 9. lib. iii. ipsi quotidie exhibitæ sunt.

Prima die minus frequens fuit vomitus, isque minus amarus: sequenti die tantum semel vomuit, & febris paroxysmus mitior, brevior fuit.

5ta Julii emanfit vomitus: febris vix adfuit: Epigastrium & Hypochondria collapsabuntur; minus dolent.

6ta Julii emanfit febris, neque amplius redivit.

7ma Epigastrium & Hypochondria collapsa, mollia, indolentia sunt: appetitus est ingens.

8va præter alios cibos carnes facilis digestionis ipsi conceduntur: pergit eandem infus. Malthæ hordei dosim fumere.

Vires cito renatae sunt, & 14ta Julii optime valens domum suam repetiit.

CASUS NONUS.

Puella 18. annos nata nunquam debite menstruata, a longo tempore dum mane e lecto surgebat, non nisi postquam se vi per bihorium vel saltem sesqui horam ad labores coegisset, libero gaudebat artuum motu: segnis, torpida, debilis 18va Augusti ad nos defertur.

A semi anno ter magnam ex Naribus Hæmorrhagiam passa fuerat: sub commestione frequenter sanguinem fundebant Gingivæ lividæ, a dentibus secedentes: fitis multa: appetitus nullus: alvus laxa: totum corpus colore subfusco, maculis latis, lividis, quarum centrum parva pustula alba, opaca, vix elevata fere ubique occupabat, usque ad artuum extremitates defœdatum: pulsus erat parvus, debilis, flaccidus, inæqualis, irregularis.

Statim incepit per diem multi hordei Lib. III. absumere: 19na Augusti ultra septem uncias sanguinis rutili, consistentiæ debilis, ex naribus iterum fundit. Hoc autem symptoma postea non amplius apparuit.

22da Augusti maculæ minus lividæ sunt, & sensim pallidiores factæ 29na Augusti disparuerant: Gingivæ colorem meliorem induunt: raro amplius sanguinem fundunt: appetitus est optimus: matutinus torpor & lassitudo multum minuuntur: vires insurgunt.

Perrexit eandem Infusi copiam quotidie potare usque ad 28vam Septembris, qua robusta, optime colorata, & ab omnibus scorbuti symptomatibus liberata ex Nofocomio egressa est.

CASUS DECIMUS.

Puella 20. annorum 13tia Septembris
ad nostrum Nosocomium delata est.

Ante novem menses menstrua ante regularia cessarunt fluere, & febris irregulari modo tertianæ, modo quartanæ, subinde etiam quotidianæ typum fervante correpta est, quæ demum post 23. septimanas fugata fuit, corpus grave, lassum, colore cachectico deturpatum, Gingivas dolentes, facile sanguinem fundentes, deletum fere appetitum, oris graveolentiam, alvum tardam post se relinquens.

Quarta Decembris Dysenteria cruenta correpta est, cujus decima die illam in Nosocomium suscepimus: erat valde emaciata, debilis, dirissima abdominis tormina sub frequentibus mucosis cruentatis dejectionibus patiebatur: Gingivæ cœruleæ, dolentes, sanguinem sæpe fundentes a dentibus multum separata: totius oris & fau-

cium absque tumore & rubore dolor, ardor; sitis multa; deglutitio dolorifica: spiritus foetidissimus accedentes a longe terribissime afficiens: pulsus debilis, flaccidus, febrilis.

Ufu Decocti Radic. Saleb. per quinque dies continuato curata est Dysenteria remanente gravissimo oris foetore & aliis scorbuti signis.

18va Musti hordei Lib. III. ipsi per diem potandas dedimus. 19na minus dolent os & fauces: sitis minor: oris foetor adstantes æque afficiens, ac ante, ægræ multum minutus videtur: facilius deglutit: pulsus minus febrilis est: alvus naturalis semel sponte secedit.

Sub usu medicamenti sensim omnia in melius mutantur: 29na Decembris nullum amplius ex ore foetorem emittit: appetitus est valde magnus: os, fauces ab omni dolore, calore præternaturali libera sunt,

ut

ut & Gingivæ, quarum color melior, firmitas major: fitis nulla: alvus ligata, naturalis quotidie semel sponte exoneratur: somnus optimus.

10ma Octobris brevi post pastum, in quo carnes vitulinas, olera, cibos farinaceos &c. comedit, famem conqueritur. Conceduntur ipsi bubula caro & alii solidiores cibi.

20ma Octobris, missus fit musti hordei potus: ægra optime colorata est: menstrua quæ a decem mensibus emanferant, 14ta Octobris eruperunt, & sat copiosa per sex dies fluxerunt. Nullum amplius superest morbi signum.

Initio Novembris sana & robusta dimissa est.

CASUS UNDECIMUS.

Fœmina 50. annorum a quindecim diebus febris quartana vehementi laborans 28va Augusti ad nos defertur.

Ingentem oris amarorem & fœtorem conquerebatur; quotidie etiam diebus intermissionis pluries amara, acida, subinde fœtida evomebat: dolores ventriculi quasi cultellis discinderetur, sub vomitu exacerbatos patiebatur: alvus erat laxa.

Datis copioso Decocti hordei, Radic. acetosæ, Bardanæ cum Oxymelle simplici potu & medicamentis indicationibus adaptatis usque ad nonam Septembris, nec minimum levamen attulimus ægræ: quare missis omnibus aliis pro potu & medicamento Mustum hordei ipsi præscripsimus.

Prima die bis adhuc vomuit: secunda die tatum semel: erant autem rejecta adhuc æque ingrata ac ante. Tertia die emanet vomitus: disparet oris amaror:

ven-

ventriculi dolores multum minuti sunt, qui 14ta penitus cessarunt, & rediit appetitus. 15ta ingruens febris paroxysmus lenior est. 18va lenis & multo brevior solito redit.

Perrexit Musto hordei usque ad 24tam Septembris uti: dein cum febris, licet mitior quam ante, non cessaret, alia medicamenta ipsi data sunt, quæ optime tulit & quibus a febre cito liberata est: brevi vires recuperavit, ac 8va Octobris optime valens discessit.

CASUS DUODECIMUS.

Virgo 22. annos nata circa 20mam Junii febre continua putrida correpta est, ex qua post 24tum morbi diem cepit reconvalescere: appetitus autem languidus mansit, & pondus post assumptos cibos in ventriculo ipsi valde molestum conquerebatur.

Ini-

Initio Augusti incepit omnia assumpta vomitu ter quaterve quotidie repetito rejicere: osque sapore pingui, lardaceo, rancescente affectum est; sumpsit varia medicamenta absque effectu, & sensim valde debilitata 24ta Augusti ad nos delata est.

Incepit statim Musti hordei lib. iii. diei spatio potare: prima & secunda ab usu hujus potus die bis vomuit, dein per triduum tantum semel in die, ac postea a vomitu libera fuit. Post octiduum sapor lardaceus rancescens disparuit, sensimque ita renatus est appetitus, ut carnes teneriores 10ma Septembris ipsi debuerint concedi: perrexit tamen eandem potus dosin quotidie haurire.

Digestio facilis fuit, nec minimum incommodum post pastum conquesta est ægra.

18^{va} Septembris incepit quinquies, fe-
xies per diem purgari: missæ factæ sunt
carnes & Musti hordei potus, & cibis
congruis nutrita est ægra.

22. sumpsit Rhei elect. dr. i. dein sequens
præscriptum est medicamentum.

℞. Aq. flor. Tiliæ unc. vj.

Tinct. Cinnam. dr. iiii.

Bol armen. unc. β.

Laud. liq. fyd. gtt. xij.

Syr Papav. alb. unc. i. β.

M.

S. omni trihorio duo Cochlearia sumat.

Hoc medicamento absumpto Diarrhæa
cessavit: appetitus viguit, & puella opti-
me valens initio Octobris Nosocomium
dereliquit.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

Puella 21. annorum jam a septem die-
bus febris continua, putrida laborans
abi-

a biduo biliosa, fœtida sæpe revomens, licet initio morbi emeticum sumpisset, sexta Julii ad nos delata est.

Totum corpus petechiis subfuscis oblitum est: oculi humidi, liventes: fitis multa: lingua fusca, sordida, humida: os amarissimum: epigastrium tensum, valde, præcipue sub vomitu, dolens: alvus tarda: pulsus mollis, debilis, vix febrilis: vires multum collapsæ.

Pro potu & medicamento datur ipsi hordei Mustum, quo per biduum continuato, vomitus, nausea, oris amaror disparuerunt: lingua incepit depurari: fitis minuta est: alvus cocta, naturalis incepit quotidie sponte secedere.

Undecima julii sensim sub usu Musti colore mutata petechiæ disparuerunt; facies & oculi vividiores, colore lætiori præditi: vires insurgunt: pulsus est solidior, sat plenus: incipit appetere ægra.

Vi.

Vigesima Julii concessæ sunt ipsi carnes,
& perrexit Musto uti.

Initio Augusti optime valens ad paren-
tes rediit.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

Puella 18. annorum prægressis per ali-
quot dies lassitudine spontanea, siti,
oris amarore, nausea, 18va Augusti an-
ni 1767. valido frigore corripitur, & in
febrim acutam putridam incidit.

Vena ipsi secta est, datum emeticum,
dein validum purgans: post quod medica-
mentis emollientibus, refrigerantibus, aci-
dulis usa ægra 23tia Augusti ad nostrum
Nosocomium defertur.

Lingua est sordida, alba: os valde ama-
rum: horror ciborum: alvi dejectiones
liquidæ, fœtidissimæ quinque, sex per
diem: capite valde dolet: pulsus mollis,
liber

liber, febrilis. Dantur ipsi Musti hordei lib. iii. diei unius tempore hauriendæ.

24ta Augusti oris amaror & ciborum horror ac sitis disparuere: capitis dolor est multum lenitus: Diarrhæa minus fœtida.

25ta continuat Diarrhæa æque frequens ac ante: quoties Mustum hordei potat, brevi temporis spatio elapso, ructus penetrantissimos, ipsi valde molestos, quorum saporem & odorem definire nequit conquiritur: quare alius potus ipsi datur, & præscriptis secundum indicationem medicamentis ægra ex morbo feliciter evasit.

CASUS DECIMUS QUINTUS.

Puella 24. annos nata 15ta Augusti anni 1767. feбри tertiana fere continua corripitur. Datur ipsi sequenti die emeticum, & præscripta sunt ipsi medicamenta solventia, refrigerantia: 19na & 21ma

ma-

magnam materiæ flavæ, mucosæ, amarissimæ copiam pluries sponte vomit & aliquoties purgatur.

23^{ta} ad nos defertur.

Lingua est fordida, subflava: os amarissimum: nausea continua: præcordiorum anxietas, debilitas magna: obtusus capitis dolor: alvus a nudius - tertius clausa.

Datur enema, & incipit Musti hordei lib. iii. per diem haurire.

24^{ta} Paroxysmus febrilis solito lenior est: omnia symptomata mitiora.

25^{ta} disparuerunt anxietas, nausea, oris amaror: lingua depuratur:

26^{ta} vix per bihorium durat tertianæ paroxysmus. Alvus stipata est: capite dolere continuat: Datur enema. 28^{va} febris paroxysmus, ut nudius - tertius decursum suum absolvit: non diu post deglutitum Malthæ Hordei Infusum in fauces,

L

os

os & nares urens, penetrantissimus vapor adscendit, ægræ valde molestus, & Musti fermentantis odorem præferens; hinc ægra hunc potum recusat.

Data corticis Peruv. unc. i. febris fugata est & 13tia Septembris optime valens discessit.

CASUS DECIMUS SEXTUS.

Puella 22. annorum initio Julii febris tertiana corripitur, a qua post quinque septimanas aptis medicamentis liberata, 14ta Augusti magnam pinguium & aliorum difficilis digestionis ciborum copiam avide comedit: brevi post frigore, tremore corripitur; succedit ingens calor, Capitis dolor, anxietas. 15ta. vena ipsi secatur: datur ipsi medicamentum, quod sexies vomitum exitat, & ultra 20. alvi de.

dejectiones promovet. 16ta ad nos defertur.

Lingua est sordida : oris amarorem, foetorem & nauseam continuam conqueritur : respiratio est anxia : pulsus mollis, parvus, valde febrilis : caput grave : tota eutis maculis latis, rubris, profunde hærentibus variegata, ficca.

Data ipsi Ipecacuanh, dr. β. sexies amara, viridia vomuit : inde autem non levata est. Præscripta sunt ipsi medicamenta acidula, & copiosus Decoct. Hordei, Radic. Bardan. acetosæ cum Oxymelle simplici potus.

His usque ad 19nam Augusti diligenter continuatis nulla symptomatum in melius mutatio facta est : quare Musti hordei lib. iii. per diem hauriendas missis aliis medicamentis dedimus.

Jam prima die oris foetor, amaror, nausea multum remiserunt, & secunda die

disparuerunt. 23tia Diarrhæa correpta est, quæ cum 24ta adhuc continuaret, & videretur ægram debilitare, alia apta medicamenta ipsi data sunt.

25ta eruperunt per totum truncum copiosa miliaria alba, quæ morbum Judicaverunt, & 16ta Septembris dimissa est.

CASUS DECIMUS SEPTIMUS.

Vir 66. annos natus 9na Augusti ad Nosocomium defertur. Ingenti totius corporis lassitudine, oris amarore, nausea, ante quatuordecim dies correptus fuerat, & inceperat ructus nirosos frequentes pati.

Ajebat senex se nullum in diata excessum commisisse, & jam a longo tempore minus appetere: purgantia & alia medicamenta absque levamine sæpius sumpserat.

Præter enumerata symptomata habebat pulsum mollem, debilem, inæqualem, le-

ni-

niter febrilem: Linguam crassa fusca, sicca, obductam: somnum paucum inquietum.

Dedimus illi potandum hordei Mustum. 11ma Augusti oris amaror, nausea, ructus cessarunt: tota cutis lenissimo sudore continuo madet: pulsus plenior, solidior, magis æqualis est: melius dormit: 17ma optime valet: magnam famem conqueritur æger: quare præter alios cibos, carnes ipsi conceduntur, quas cito, continuans Mustum hordei potare, digerit: 28va Augusti sanus & robustus domum suam revertitur.

CASUS DECIMUS OCTAVUS.

Juvenis 17. Annorum 14ta Augusti febrili acuta continua corripitur. Dantur illi medicamenta morbo convenientia. 25ta tussi sicca afficitur: fere omnia assumpta removit: 27ma tussi & vomitu continuantibus pro potu & medicamento dantur

L 3

Mu-

Musti hordei lib. iii. per diem: primæ & secundæ dosis maximam partem vomitu rejecit: post tertiam autem cessavit vomitus nec amplius rediit: tussis lenita est, & pulsus melior evasit.

Sub continuato Musti hordei usu, omnia sensim in melius mutata sunt: 17ma Morbi die suborta diarrhæa, quæ 18va continuavit, morbus integre judicatus est, & vires brevi recuperavit.

CASUS DECIMUS NONUS.

Vir 54^{to} ætatis annum emensus 16^{ta} Augusti febris acuta, putrida corripitur. 19^{na} post assumptum Emeticum ad nos defertur.

Totum corpus petechiis variæ figuræ & coloris obsitum est. Lingua admodum sicca, glabra, fusca: cutis sicca: facies & oculi luridi: alvus liquida bis terve in die deponitur: subdelirans est, valde debilis:

bilis: pulsus flaccescit vix febrilis: respiratio est lenta, tarda, inæqualis.

Dantur ipsi Medicamenta leniter excitantia, roborantis, antiseptica.

21ma Augusti ingentem oris amarorem & nauseam conqueritur, ob quæ Emeticum sumit, quod sexies vomitum & aliquoties alvum movet: dein continuat prioribus medicamentis uti.

Oris amaror & nausea parum minuta, 28va Augusti disparentibus petechiis de novo aucta fuerunt, & æger incepit vomere & multum sitire.

Missa fecimus omnia medicamenta & solum Infus. N. 9. ipsi dedimus, & ad alvum jam a triduo clausam sollicitandam Enema injectum est.

29na Augusti, oris amaror, sitis multum minuta erant: nausea & vomitus cessarant, & pulsus plenior, solidior est.

30ma Augusti quinquies copiosam alvum

L 4

pul-

pultaceam deponit. 3^{ima} præter debilitatem nihil de morbo superest. Perrexit uti Musto Hordei usque ad 3^{vam} Septembris : cito appetitus bonus evasit : brevi vires recuperavit, & 15^{ta} Septembris sanus dimissus est.

CASUS VIGESIMUS.

Puella 20. annorum a tribus hebdomadibus nausea, oris amarore & forditie, siti frequenti, Diarrhæa, quibus a triduo adjuncta erant abdominis tormina & febris, affecta 2^{da} Septembris ad nos delata est.

Data sunt ipsi Musti hordei Lib. III. per diem & intra triduum oris amaror & fordities, sitis, abdominis tormina & Diarrhæa cessarunt, continuante febre. 5^{ta} Septembris loco Musti hordei datum est ipsi decoctum emolliens, refrigerans, & Decocto Hordei pro potu usa octava Septem.

tem.

tembris a febris libera inventa est: deerat autem appetitus, & denuo nausea & oris amaror incipiebant ægræ molesta fieri, neque sumpta Ipecacuanh. dr. β. hæc symptomata vel minimum minuta sunt: quare prior Musti dosis ipsi reddita est.

14ta Septembris lingua pura erat: oris amaror disparuerat, & magnus erat appetitus: ægræ pergenti hoc potu uti præter alios cibos, carnes concessæ sunt, & 21ma Septembris sana ad suos redivit.

Possent centenis exemplis virtutes Musti Hordei in corpore humano a celeberrimo Macbride laudatas confirmare: quæ autem ulterius referrem, cum jam relatis ut plurimum conveniunt, & hoc simplex remedium magnæ in praxi medica utilitatis esse de-

170 CAPUT V. DE MUSTO HORDEI.

monstrant. Est egregium antimeticum,
antiputredinosum, antiscorbuticum, dige-
stionem ciborum juvans & corrigens medi-
camentum: sitim cito sedans potus &
bonum nutrimentum.



FOR-

FORMULÆ.

N. 1. ℞. Flor. Arnic. dr. i.

Inf. c. Aq. fervid. q. s. p. $\frac{1}{2}$ hor. vase
clauso colat. lib. i. adde Syr. flor. Cha-
mom. unc. i.

M.

S. Quatuor vel quinque dosibus diei unius spa-
tio absumatur.

N. 2. ℞. Flor. Arnic. dr. ij.

Fiat Infus, ut prius, & eodem modo
fumatur.


N. 3. ℞. Flor. Arnic. dr. iij.

Inf. p. $\frac{1}{2}$ hor. c. Aq. fervid. q. s. vase
clauso. colat. lib. i. adde Syr. capill, ve-
ner. unc. i.

M.

S. Usus ut prioris.

R.



N. 4. ℞. Flor. Arnic. unc. ℞.

Infunde, ut prius. Colat. lib. i. adde Syr.
flor. Chamom. unc. i℞.

M.

S. Diei unius spatium absumat æger.

N. 5. ℞. Flor. Arnic. unc. ℞.

Inf. c. Aq. fervid. q. s. per $\frac{1}{2}$ hor. dein
per medium $\frac{1}{4}$ hor. bulliant vase clauso:
colat. lib. i. adde Syr. Capill. vener. unc. i.
vel unc. i℞.

S. Ufus ut prioris.

N. 6. ℞. Flor. Arnic. unc. i.


Inf. c. Aq. q. s. p. $\frac{1}{2}$ hor. dein per medium
 $\frac{1}{4}$ hor. bulliant vase clauso. colat. lib. ii.
adde

Syr. Capill. vener. unc. ij. vel q. s.
ad gratam dulcedinem.

M.

S. omni bihorio vasculum sumat, ut Nychte-
meri spatium absumatur.

N.



N. 7. ℞. Pulv. subtiliff. flor. Arnic. dr. ij.

Mell. q. s.

Mfiat Electuarium molle diei spatio absumendum.

N. 8. ℞. Pulv. Subtiliff. flor. Arnic. dr. iij.

Mell. q. s.

Mfiat Electuarium molle.

S. Ufus ut prioris.

N. 9. ℞. Malth. hordei unc. vj.

Coq. c. Aq. Mensur. i. per $\frac{1}{4}$ hor. dein adde

Semin. fænicul. scr. iv.

Glycyrhiz dr. ij. vel dr. iij.

Stent in digestionem per 4. hor. vase clauso colatur. affervetur usui.

F I N I S.



1. In der Natur befindet sich Wasser in

verschiedenen Zuständen

1. Als flüssiges Wasser

2. Als feste Körper (Eis)

3. Als gasförmige Dämpfe (Wasserdampf)

4. Als feine Tröpfchen (Nebel)

5. Als kleine Eiskristalle (Schnee)

6. Als feine Eiskristalle (Reif)

7. Als feine Eiskristalle (Eisnebel)

8. Als feine Eiskristalle (Eisregen)

9. Als feine Eiskristalle (Eis Hagel)

10. Als feine Eiskristalle (Eis Hagel)

11. Als feine Eiskristalle (Eis Hagel)

12. Als feine Eiskristalle (Eis Hagel)

13. Als feine Eiskristalle (Eis Hagel)

14. Als feine Eiskristalle (Eis Hagel)

F I N I S

15. Als feine Eiskristalle (Eis Hagel)


16. Als feine Eiskristalle (Eis Hagel)


17. Als feine Eiskristalle (Eis Hagel)

18. Als feine Eiskristalle (Eis Hagel)

19. Als feine Eiskristalle (Eis Hagel)

20. Als feine Eiskristalle (Eis Hagel)





87

